

Catalogi Hæreticorum;

CONRADI
SCHLÜSSELBURGII,
SS. THEOLOGIÆ DOCTO-
RIS ET PROFESSORIS, AC IN
Ecclesia & Gymnasio Stralsunder-
fi, in Pomerania, Super-
intendentis;

Liber Secundus.

IN QVO MANICHÆ ORVM
recentium argumenta refutantur, cum affer-
tione vera sententia, quam Catholi-
ca amplectitur Ecclesia:

Sit maledictus amio, pax & concordia sacra,
Quæ violat Christi dogmata, sancta Dei.



FRANCO FVRTI

Impressum typis Ioannis Saurij, impenis
Petri Kopffij.

M. D. XCVII.



REVERENDO
ET OPTIMO VIR O,
DOCTRINA, PIETATE ET
ZELO VERITATIS DIVINÆ PRÆ-
stanti, Dn. FABIANO KLOECK, verbi Dei in
Ecclesia Stralsundensi Preconi fideli, & Sa-
crosancti Ministerij ibidem Seniori,
collegæ & fratri in Chri-
sto dilecto.

*Saltem in Christo Iesu, Immanuèle & Sal-
uatoris nostro unico, Amen.*

REVERENDE & Præstantissi-
me vir, collega & frater in
Christo dilecte: Nullum est
mihi dubium, tibi, homini in
sacris literis versatissimo, no-
tum esse, quod conseruatio puritatis do-
ctrinæ coelestis, in Ecclesia Dei, non sit
humanæ sapientiæ, industriae, aut diligen-
tiæ, sed beneficium insigne, & opus admi-
mirandum Iesu Christi, filii Dei, sedentis

P R A E F A T I O .

ad dexteram æterni Patris, qui inde, vsq; à primis iactis fundamentis Ecclesiæ, de cœlo repressit & extinxit fanaticas opiniones, & lucem sui verbi subinde illustrauit & propagauit: Ac etiam nunc præsens sit in Ecclesia, monstret per Spiritum sanctum indubiam veritatem, flectat animos suorum ad adfentendum verbosu, & refellat, & tandem dcleat blasphemos errores.

Te igitur Iesu Christe, fili Dei, qui sedes ad dexteram Patris, ut des dona hominibus, & sis custos tua Ecclesia, vero gemitu inuoco, ut in hac graui controuerchia, de Peccato originis, tuam ostendas potentiam, & uniuersam tuam erga nos declares bonitatem, tuoq; Spiritu illustres verbi tui veritatem, dispellas errorum nebulas, flectas animos ad studium incorruptæ doctrinae, ex imbecillitate seductos reducas in viam, per tuum Spiritum suppedita nobis perspicuas & solidas refutationes errorum, & tandem, repressis fanaticis hominibus, tuo iudicio blasphemis finem imponito, Amen.

Hæc necessaria precatio non tantum nobis, in hoc certamine, est recitanda, sed assidue repetenda, vt salutaris veritas inter nos conseruari, & ad posteritatem pro-

P R A E F A T I O .

propagari possit. Est enim horribilis caliditas & immanis potentia Satanæ, in pingendis & latè spargendis erroribus. Transformatus, inquit Paulus, *in angelum lucis,* & efficaciter operatur in filijs diffidentia, quorum mentes & corda excusat.

Hominumvero stupenda est cùm infirmitas, tūm leuitas; leui momento abducuntur à veritate, facile applaudunt nouis sententijs, specie concinnis, sàpè vnica voce turbantur mentes, vt de veritate dubitent. Quis nostrum ante hæc tempora suspicatus fuisset, errorem tam crassum, tam manifestum, tam plenum blasphemij, videlicet, ipsam hominis animam esse peccatum originis, animam & cor hominis esse opus Diaboli, Satanam esse conditorem hominis, &c. qui ante tot secula tam neruosè confutatus, tam graui iudicio Ecclesiæ explosus, & ex solidis Scripturæ sacræ fundamentis condemnatus est, aliquando rursus turbaturum Ecclesiam, & grāue certamen excitaturum? Nisi igitur ipse Filius suo Spiritu adsit nobis, & verbi sui face ardente discusserit caliginem, frustrè speramus victoriam contra hæreticos. Verum erigit nos amplissima

P R A E F A T I O .

Iesu Christi promissio: *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, deducet vos in omnem veritatem.* Ioh. 16. Huic Spiritui non poterint resistere totius mundi sophismata.

Etsi autem filius Dei, sedens ad dextram Patris, solus sibi hanc vendicat gloriam, quod diuinitus reprimat errores, & conseruet doctrinæ puritatem: tamen à nobis, tamen discentibus, quam docētibus, hanc postulat curam, vigilantiam, studiū, & diligentiam, ut obtortis nouis dogmatibus, & moto aliquo certamine in Ecclesia, serio inuestigemus veritatem, diuina oracula consulamus, & dogmatum fundamenta & neruos examinemus; & tandem, ergo deprehenso, & veritate inuenta, rudiores nostro testimonio confirmemus, & à fanaticis opinionibus nos alacri confessione separemus.

Pio igitur & bono consilio hunc tractatum, *de peccato originis*, & quidem *de contiouersia*, quam Illyricus resuscitasit, cedere volui, non ut ingenij mei acutimē, quod nullum esse scio, ostentarem, hoc est, stultitiam meam domestico testimonio prodicerem: multò minus, ut in publicum blasphemias

P R A E F A T I O .

sphemas voces omnes Illyrici proferrem, cum ignominia æterni Dei & dedecore Ecclesiæ: Sed, vt placide recitatis & solutis Manichaorum Paralogismis, in timore Dei, salutaris & indubia veritas in hac contiouersia ex scriptis Propheticis & Apostolicis, ac puriore antiquitate eruetur, animi turbati confirmarentur, & piorum conscientijs satisficeret.

Cùm Christus inquit: *Scrutamini scripturas*, &c. non solum laudat, sed etiam præcipit pias collationes sententiarum, in quibus, in timore Domini, indagatur æterna & immota veritas. Atq; sic perpetuò in Ecclesia vistatum fuit. Cùm Pseudoapostoli quidam cōtenderent, *obseruationem legis Mosaicæ esse necessariam*, & propter hanc contiouersiā conuenissent Apostoli & Ecclesia: Lucas refert, Apostolos & pios multūm hac de re disputasse, & sententiarū collatione inquisiuisse veritatem. οὐδὲν, inquit, οὐδὲν Καὶ πολὺν.

Nec vero tantū in magnis Synodis instituta est veritatis inquisitio, sed sàpè, ad confirmandam Ecclesiam, antagonisticis facta est potestas, de contiouersijs publicè disputandi, aut coram Ecclesia ar-

P R A E F A T I O.

gumenta Hæreticorum examinandi & refutandi.

Augustinus *de Divinitate lib. 2*, cum Maximino Episcopo Ariano, publicè coram Ecclesia disputauit, & eum refutauit. Idem Augustinus scribit: *Collationem per aliquot dies factam esse Carthagine, inter Episcopos Orthodoxos & Donatianos, coram Marcelino, quem Imperator dederat cognitorem.*

Augustinus etiam, ynà cum alijs Episcopis, Cœsariæ disputauit publicè, contra Emeritum, Episcopū Donatistarum. Augustinus etiam publicè contra Manichæos scripsit.

Testatur etiam Hieronymus in Dialogo, quod Orthodoxi cum Helladio Luciferiano publicè disputarint. Nostrâ memoriâ Lutherus, non solum Lipsiæ contra Eccliam Sophistam, publicè disputauit, sed etiam contra Antinomos, & alios sectarios, publicas instituit disputationes & collationes, & refutauit eosdem. Hæc nimurum eo fine sunt facta, ut publicè examinarentur argumenta aduersariorum, num aliquid firmi & solidi haberent; & ut magis sanę doctrinę lux accenderetur, & Ecclesiae immota fundamen-

ta, quæ

P R A E F A T I O.

ta, quæ nullâ Sophisticâ conuelli possint, monstrarentur. Hoc consilio & fine etiam hæc collatio argumentorum à me edita est.

Vera enim & sana doctrina, innixa immotis testimonii Prophetarum & Apostolorum, non veretur subire examen. Portæ enim inferorum (teste Christo) nō praualebunt aduersus veritatem, & Ecclesiam. Ac cum hæc publicæ disputationes eos quoque irretitos teneant, qui anteā quidam, propter constatitem veritatis cōfessionem, exilia & miseras perpeti sunt, nunc vero, propter impium dogma, de peccati originis substantia, in eandem calamitatem sese sponte ceſſicunt; omittuntq; decebat eos in timore Domini hæc argumenta ponderare, & confessionem suam examini subiicere, & periculum facere, num tueri possint, Sacre Scripturæ testimoniis, opinionem, pro cuius asseritione non dubitant se cum coniuge & liberis in exilium coniicere. Magnum quiddam est, subire exilium, coniugem & liberos in discrimen vitæ & omnium rerum adducere; sed omnino attendendū est, num iusta causa nos urget, num Deo hac in re

P R A E F A T I O.

turo iudicio non constantie verē præmia, sed stolidæ pertinaciæ supplicia grauissima expectare? Obtestor igitur Manichæos recentiores, ne patiātur se dementari inani prosopolepsia, ne currant à nōis, (vt Paulus inquit) non ruant cœco impe-
tu, non furenter approbent non intelle-
cta; sed erudiri se patientur, & cedant ini-
tiæ & immotæ veritati. Atque hanc vt
deprehendere possint, conferant inter se
argumenta Illyrici, & solutiones nostras.
Caveant autem singuli, ne blasphemias
contra Deum effuriant.

*Ex ἀριθμῷ λοιδορεῖσθαι θεοῦ: siue serio, siue ioco
sanctum nomen Dei ledas, grauissimum est
scelus.*

Quod autem in nostris propositioni-
bus multūm yū sumus testimoniis S. Pa-
trum, & D. Lutheri, quoncō finē factum
est, vt nos humanæ authoritat̄, in tanti
mysterij defensione, committeremus.
*Nulla enim humana authoritas sufficere potest,
conscientiæ, in controversiis de religione. Sed,*
postquam immota fundamenta in ipsis
fontibus Israël monstrauimus, ad maiore
& declarationem, & ~~πληροφορίαν~~ purioris
antiqui-

P R A E F A T I O.

antiquitatis, & D. Lutheri testimonium
grauē indicare volui.

Habet & Augustinus aliquibi suos la-
pſus ~~καὶ σφάλματα~~, quod ipse in multis locis
fatetur. Et humanissimè & modestissimè
ab ipso dictum, (de Trinitate) *Ego in literis
meis non solum pium lectorem, sed & liberum
Correctorem desidero. Noli, inquit, literis
meis, tanquam Canonicis, inferire. Huius*
ergò saluberrimi præcepti Augustini me-
mores, fundamentum immotum salutis
nostræ sumemus ex oraculis diuinis, quæ
in scriptis Propheticis & Apostolicis ex-
tant: declarationis & maioris confirma-
tionis gratiâ, usurpabimus Patrum & D.
Lutheri testimonia.

*Postremò redeo ad Dominum nostrum Ie-
sus Christum, eumq; ardentipectore oro, vt ipse
hunc laborem nostrum fortunet, & prosua cle-
mentia faciat; ut omnia cedant ad nominis sui
gloriam, veritatis propagationem, Ecclesie adi-
ficationem, errorum extirpationem, & multorū
piorum consolationem & salutem.*

Tuo autem nomini, vir reuerende, &
frater in Christo dilecte, hunc secundum,
de sc̄tā Manichæorum libellum, nuncupa-
re volui, vt esset certum πικρίειον, mutui

P R A E F A T I O .

inter nos, in Iesu Christo, amoris: & vniuersæ Ecclesiæ Iesu Christi constaret, nos esse in Christo vnum, facere vnum, fateri vnum, pati vnum, & mori vnum, *vel si se rumpat Satana maledicta propago.* Benevale in Iesu Christo, cum Ecclesia domestica. Datum Stralsundij, in Pomerania, Anno partus Virginæ, 1596. 9. Maij.

Tuus in Christo frater ac collega,

*Conradus Schlüsselburgius, S.S.
Theologia D. Superintendens.*

D E



D E S E C T A R E-
C E N T I V M M A N I C H Æ O .

R U M S E V S V B S T A N-
tialistarum:

*Recentiores Manichai, vnde nomen
habent.*



V T E R primus huius sectæ fuit *Manes*, sive (vt Augustinus eum vocat) *Manichæus*, qui vixit tempore Auriæliani Imperatoris, anno, à nato Christo 275. Ab hoc Manete seu Manichæo sestatores eius *Manichai* vocati sunt. Augustinus scribit, *Manichæi* discipulos in Gracia quondam id nomen, quia fatale & monstrorum esset, immutasse, & auctorem suæ sectæ appellasse *Mannicheum*, litera v geminata, hoc est: *Mannam fundentem*; à *Manna* Chaldaicè, vel *Man* Hebraicè, & à verbo χάος, id est: *fundo*, seu *spargo*. Est autem *Manna*, panis ille cœlestis vel Angelorum, quo Deus per quadraginta annos Israelitas pauit in deserto. Demittebatur autem roris instar, tempore nocturno è cœlis, post exortum solis liquefcebat;

D. CVNRAD. SCHLVSSÆL.

Rectius autem vocantur *Manichæi* à Græco
Mævia, id est; *furore*, seu *infanâ*. Nam Manichei
Hæretici quasi furore perciti, veritatem colle-
ctiem oppugnârunt & deprauârunt. Ut autem
Manichæi insanie nomen portentosum vitarer,
(nominibus enim solent inesse omnia) & insanias &
diabolicas suas doctrinas veritatis pallio obte-
geret, & simplicioribus imponerent, angelicum
& speciosum nomine non sine fraude & insigni
malitia, assumpserunt, sese à pane angelorum.
Manna Mannicheos vocates, quasi Angelicam,
celestem & diuinam doctrinam docerent & pro-
pugnarent. Testantur autem Historici, & S. Pa-
tres, præsertim *Origenes*, *Cyprianus*, *Epiphanius*,
Theodoreus, *Philastrius*, *Eusebius*, *Ambrosius*, *An-
gustinus*, *Hieronymus*, *Basil*, *Magnus*, *Anselmus*,
& alij quidam, Manicheos veteres multos blas-
phemos errores in Ecclesia Dei passim dissemi-
nasse. Inter alios errores & hi recensentur; quod
naturam hominum per se damnârint, teste Hiero-
nymo, in proemio dialogi contra *Pelagianos*,
Tom. 3. Deinde peccatum dixerunt esse substanziam,
qua in sua natura immortaliter vivat, vt ex
sequentibus Augustini testimoniis patet. Sic e-
nim inquit, contra secundum Manichæum, cap.
12. Certe, omnis inter nos discretio est, quod vos Ma-
nichei Substantiam quandam malum sive pecca-
tum esse dicitis, nos vero non substantiam, sed incli-
nationem, ab eo quod magis est, ad id quod minus
est, malum esse dicimus. Idem contra Iulianum
Pelagium, lib. 1. Non igitur resistimus Manicheis,
nisi

DE SECTA MANICHÆORVM.

nisi obtineamus, non esse mala virtus, nisi ex bonis, nec
ea mala substantias esse, sed substantiarum vitia crea-
tarum, quibus deficiunt a dono, quoniam mutabiles
sunt, eo quod ex nihilo facta sunt. Hac est doctri-
na Catholica sanitas, quæ Manichea pestilentia vi-
rus expellitur. Idem Augustin. in Psal. 68. contra
Manicheos inquit: Et quasini, quid effet iniquitas,
& non inueni substantiam esse, sed a summa substanzia
Deo detortam, in infirmam voluntatis peruersi-
tatem. Ibid. Iniquitas quippe ipsa non est substanzia.
Non enim iniquitas est natura, quam forma-
vit Deus, sed iniquitas est peruersitas, quam fecit
homo. Idem contra secundam Epistolam, ad Boni-
faciū, lib. 2. cap. 2. *Manichæi carnis concipi-
scientiam, pontangam Accidens vitium, sed tan-
quam naturam ab aeternitate malam vituperat*, &c.

Hi sunt veterum Manichæorum errores, de
Peccato & articulo creationis. Quia vero recen-
tiores Manichei eosdem errores ab inferis quasi
resuscitatos, publicis scriptis & viua voce repe-
tunt, & defendere (vt postea demonstrabitur) co-
nantur, merito nomine *Manichaorum* appellan-
tuntur.

Substantialisti vocantur, eò, quod peccatum
originis negant esse accidens vitium, quod accedit ho-
minibus, vt Augustin. loquitur lib. 2. cap. 26. de nu-
ptiis & concupiscentiis; sed pertinaciter conten-
dunt, peccatum originis esse ipsam hominis substanziam.

Flaciani vocantur, à *Matthia Flacio Illyrico*,
qui nostro seculo omnium primus monachus,

4 D. CVNRAD. SCHLVSELE.

portentosa, impia & blasphemæ veterum Manichæorum deliramenta, quasi ab Orco, maligni Spiritus instinctu, resuscitauit, occasione arrepta ex disputatione, Vinarie in Thuringia cum Victorino Strigelio habita, anno Christi 1561. Cùm enim Victorinus Sinergiæ seu virium humanaarum, in conuersione hominis nondum renati ad Deum, patronus astlereret, peccatum originis esse leue aliquid accidens, instar allie Magnete illius: per quod non tota substantia corrupta, sed tantum leviter in accidentibus vulnerata esset; Illyricus, exaggerare volens peccati originalis atrocitatem, in Manichæismum incidit, asserens, peccatum originis esse ipsam hominis substantiam. D. Ioannes V Vigandus, D. Simon Mulfæus, & alij eius collegæ, qui in arcè Vinariensi, mandato triū illustrissimorum fratrum, Saxoniæ ducum, Iohannis Friderici II. Iunioris, Iohannis V Vilhelmi & Friderici, disputationi isti interfuerūt, Illyricū statim in ipsa disputatione fraternè & fideliter, (id quod saepius ex ipsorum ore audiui) admonuerūt, ut ab hac noua, & periculosa & blasphemæ, veterum Manichæorum propositione, quæ in Ecclesia Dei magnas turbas datura esset, abstineret, & errorem Victorini, de libero arbitrio, non falsa propositione, sed verbo Dei refutaret: Verum Illyricus ambitione ebrios, feroce contentionis nimium sui ingenij acumine & acrimonia fretus, omnium collegarum fraternas & fideles admonitiones superbè aspernatus est, & illis dissuadentibus, inuitis & repugnatibus, pertinaciter

DE SECTA MANICHÆORVM.

tinaciter plurimis scriptis suam blasphemā propositionem palliare, incrustare & propugnare cœpit; & multos homines in suam sententiam, libris, publicis typis euulgatis, pertraxit. Deinde nactus est quosdam Theologos, qui strenuè Illyrici Manichæismum scriptis editis tutati sunt, inter quos præcipui fuerunt, M. Cyriacus Spanbergius, Christophorus Irenæus, Ducus Saxonie, Iohannis V Vilhelmi Concionator aulicus, Martinus V Vulfius, Pastor Orlamundensis ad Salam, Matthæus Schneider, Pastor in Thuringia; Antonius Otto; D. Ioannes Cœlestinus; Hieronymus Opicus, Theologus Ratisponensis; Tobias Rupius, V Vilhelmus Sarcerius, Iohannes Beatus, Henricus Fredelandus, Martinus Otmandorus, Casparus Hendelinus, & alij quidem obscuri homines, qui hoc tempore in Austria passim Ecclesiam Dei, Illyrici dogmate, turbant, & veritatem agnitam oppugnare non desinunt. Antequam verò errores Manichæorum recentium recitemus, volumus primùm vistitam veræ Ecclesiæ Iesu Christi doctrinam de peccato originis à nostris Theologis Manichæis oppositam, recitare, & sententiam nostram de propositione Illyrici, expōnere.

DE PECCATO ORIGINIS, PROPOSITIO- NES, EX VERBO DEI desumptæ:

I.

DO LENDVM & deplorandum est, homines post lapsum tam horribiliter corruptos & depravatos esse, ut sui ipsius malū seu datum, vel non videant, naturaliter, vel licet aliquid videant ex verbo Dei, tamen multi non maneant in metis verbi diuini, ac portenta opinionum horribilia petulanter configant.

II.

Ethnici quidem aliquam vident turpitudinē & malitiam in natura hominis, sed unde sit, & quantum sit illud malum, quantasque pœnas commeruerit, aut quonam modo sanetur ac tollatur, acie mentis humanæ, sine verbo Dei, perspicere nequeunt.

III.

Iraque in ea sunt opinione, *Naturam humam semper talem*, hoc est, magna malitia & imbecillitate refertam *suisse*, nec iudicant ea mala, quæ sunt in hominis Natura, esse peccata, & quidem talia, quæ æterna Dei ira & morte digna sint.

IV.

Disciplina igitur & institutione rationali, co-
nantur

DE SECTA MANICHÆORVM.

7

nantur hæc mala Naturæ humanæ sanare, verūm cochleari, quod dicitur, *mare exhaustire frustra tentant*. Nam rectè dixerunt veteres: *Naturam expollus furca, tamen usque recurret*. Politica prætereà sapientia & mores in vita mediocres, non tollunt mentis tenebras, non faciunt cor spiritualiter nouum, non gignunt veram Dei notitiam & cultum, non admuntiram Dei & mortem.

V.

In Ecclesia autem prater securos, non attendentes peccatis, quorū quidem semper est maxima multitudo, ctiā Hæretici hanc doctrinā conuellere tentarunt, quorum sunt præcipue duo Duces, Pelagius nimirum & Manichæus, cum suis cohortibus, vt de ceteris in presentia non addam.

VI.

Pelagiani, dixerunt, *absque peccato etiamnum homines in hunc Mundum nasci*. Naturam prorsus bonam esse, ab omni impuritate immunem. Imitatione autem sola, nimirum ad exemplum Adæ, homines fieri peccatores.

VII.

Manichæi in alterum extremum impingunt, asserendo, *peccatum Originis initia esse conditum à Deo malo*. Item, *peccatum Originis esse substantiam, nec esse accidens vitium*, vt Augustinus hunc Manichæorum errorem annotauit.

VIII.

Iam verò Pontificij & Sinergiste, ad Pelagianos sese inclinant, dum illi quidem assuerant: *Naturalia mansisse integræ*, & hi contendunt, *hominem sua naturali vi, in rebus Spiritualibus posse annuere, assentiri nonnihil, habere modum agendi & capacitatem, actiuam scilicet, iuxta modum illum agendi.*

IX.

Allyricus autem, & ciuius adstipulatores, publicis libris Manichæorum deliramenta resuscitant & augent, dum digladiantur, peccatum originis esse substantiam, & non accidens: deprauant rationalem naturam, aut creaturam, ab ipso Diabolo conditam esse.

X.

Sunt autem eiusmodi furores nequaquam à Deo, sed à malo Spiritu, qui homines lapsos in peccatum, & horribiliter spoliatos ac deprauitos, falso rideat.

XI.

Finis est, vt lux doctrinæ de peccato originis in Ecclesia Dei extinguitur. Deinde, vt plura Monstra rerum & verborum ebuccinentur, turbentur simpliciores, monstrosæ naturæ materiam insanienti accipiunt, & cumulentur plura peccata, iram Dei & calamitates maiores trahentia.

Et si

XII.

Etsi autem Deus permittit talia portenta eorum grassari, propter hominum impietatem, fastidientium synceram Euangelij doctrinam; tamen etiam hanc ob causam finit tam grassa deliramēta spargi, vt pij quasi ex securitatis somno excitati, veram de his rebus doctrinam ex verbo Dei diligentius & solertiùs inquirant, ardenter contra eiusmodi præstigias orent; & agnoscant, puritatem cœlestis doctrinæ, singulare & eximium Dei donum esse, & maiori cura integratatem doctrinæ, ac depositum sacri thesauri custodiant, publicè profiteantur, & ad posteritatem transmittere studeant.

XIII.

Vt igitur lux veritatis patefactæ de hoc Articlelo inter nos quoque piè retineatur, & rectè cognoscatur, fons malorum omnium, exundantium in vniuersum genus humanum, vera fundamenta è fontibus Israel, hoc est, ex verbo Dei, comprehenso in monumētis Prophetarum & Apostolorum, dilucidè repetenda, & contra Pelagianorum & Manichæorum deliramenta constanter defendenda sunt.

XIV.

Etsi autem Draco ille infernalis, turpes ranas agminatim euomit, & vndarum quasi diluicio effuso, cōfessores intemeratae veritatis cōspuere

10 D. CYNRAD. SCHLVSSELB.
atque delere nititur, tamē veritatis diuinæ Confessio ne quaquam deferenda est.

XV.

Luceat igitur sacrum iubar verbi diuini contraingruentes errorum tenebras, vt pij omnes Deo dante in clarâ die rectè ambulent, & exterminetur atq; profligetur Manichæum dogma, vt impium & blasphemum ex pectoribus omnium serìd timentium Dominum, & ex hac Christiana schola atq; Ecclesia.

XVI.

Sit igitur *κειθεον* primum, in hac controueria, ipsum Dei verbum, quod est Norma iudicij recta, de quo in præsentia potissimum agemus.

XVII.

Deinde & testimonia veteris Ecclesiæ; quibus Manichæorū dogmata sunt impugnata, in conspectu habenda sunt.

XVIII.

Tertio & S. Lutheri testimonia obseruanda sunt: cum Manichæi, Lutheri auctoritate, suas blasphemias palliare conentur.

XIX.

Oramus autem filium D E I, vt per Spiritum sanctum, quem nobis suo precioso sanguine perit, in ipsam veritatem nos rectè deducat, ac in ea benignè conseruet, atque efficiat, ne hæc opera, in laudem Dei & Ecclesiæ utilitatem suscepta, sit inanis.

XX.

Peccati vox, quod extra omnem est controver-

DE SECTA MANICHÆORVM. II
uersiam, interdum in genere ponitur, de peccatis, *tum originali, tum actuali*, vt; *Conclusit scriptura omnia sub peccatum. Gal. 3. Traditus est propter peccata nostra. Rom. 4.* Interdum vero in specie de *Actualibus*, vt vocant, peccatis usurpatur, vt; *Peccatum suum, quasi Sodoma, predican. Esa. 3.* Et sic etiam interdum de *Originali* tantum ponitur, vt *Roman. 5. Peccatum introiit in mundum.*

XXI.

Interdum vero & *pro reatu, seu rea usurpatur*, vt 2. Cor. 5. *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum;* hoc est, Christus factus est reus peccatorum omnium nostrum, imputatis ei peccatis nostris, non aliter, ac si ipse met comisisset, & meritus esset tantas penas & mortem.

XXII.

Porro, vt alia vocabula breuitatis gratia hic omissamus, Paulus peccata nominat *ἀρωτάν, item, ἀσέλευτα & ἀδικίαν*. Nam lex est Norma pietatis & iustitiae, quam Deus ab hominibus exigit. *Etenim cognitio peccati est. Rom. 3.*

XXIII.

Sed ad scopum proprii collimemus, ac de peccato *Originis nostram*, regente Spiritu sancto, disputationem instituamus.

XXIV.

Peccatum originis, ad differentiam Actualium, appellatur, quia, vt recte Lutherus inquit, *non fit a nobis, sed ex parentibus naturalibus innat.*

scitur nobis, & propagatur in omnes, nascentes ex mare & foemina in hoc mundo. Hinc etiam hereditaria linea à scriptoribus Ecclesiasticis nominatur, & Lutherus lepram naturalem hanc ob causam dixit.

XXV.

Longius petita est ea deriuatio, vocari scilicet *originis peccatum*, quia ex eo omnis generis peccata, veluti ex fonte scaturiunt. Verum cum sensus iste non pugnet cum Analogia fidei, sinimus unicum suum esse pulchrum.

XXVI.

Paulus appellat *ἀμαρτίαν, qua intravit*. Respondebat enim primi hominis, haec foeda pollutio atque corruptio intravit in eum, & sic per eum *intravit*, εἰς τάλας ἀρπάτες, inquit Apostolus, Rom. 5.

XXVII.

Vocat & bis δικαιοίαν ἐν ἑμοὶ ἀμαρτίαν. *Peccatum in me habitans*. Non tantum autem domesticum & intestinum peccatum nominat, id quod diligenter notandum est, sed quod in se habitet. Ac sanè malus & grauis ille hospes est, ut qui totum hominem peruerterit, atque omnes partes eius occupaverit atque corruperit, ne quis hospitem leuem, lenem, aut ociosum hic somniet, aut Paulum nostrum, ut faciunt nonnulli Manichæi, propter hanc Phrasin exhibeat aut flagellet.

XXVIII.

Et ad Hebr. 12. εὐπρέσου ἀμαρτία, Lutherus, die Sündes so vns anfläbet.

Est

XXIX.

Est autem peccatum originis, carentia iustitiae originalis debita inesse, & reatus propter lapsum primorum parentum, & corruptio totius humanae nature, que in omnes, nascentes ex mari & foemina, propagatur; propter qua mala omnes rei sunt ire Dei, temporalium & aeternarum pœnarum, nisi fiat per Christum remissio. Fontes huius definitionis sunt illustria dicta Psal. 51. Rom. 5. 7. & similia.

XXX.

Idem dicit Augustana confessio, definiens; *Peccatum originis esse defectum & concupiscentiam*. Et allegat dictum Thomæ: Peccatum originis habet priuationem originalis iustitiae, & cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ, unde non est priuatio pura, sed quidam habitus corruptus. Item, Bonaventura citatur, qui vocat concupiscentiam immoderatam. Et Hugo, qui dicit, *Peccatum originale esse ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne*.

XXXI.

Sed ad definitionem rectius intelligendam, necesse est paulo altius & planius, quæ ad eius propriam & perspicuam explicationem pertinent, repetere.

XXXII.

Vnum & idem est peccatum originis, in renato & nondum renato: tantum verò in eo est differentia, quod in renatis sit remissum fidei in Christum, & sit inchoata nouitas per Spiri-

tum sanctum, per quem eram renatus, illi peccato tubulente communiquanti, relisit. Non dem verò renatus, totus est captius peccati originis. Neque enī peccatum originis in eo renatum est, neque per Spiritum sanctum inchoata est spiritus nostritas.

XXXIII.

Non autem decent literæ quid peccatum sit ab eterno: Nam fons Deus est aeternus.

XXXIV.

Nec docent, quid peccatum originis sit conditum inter opera sex dierum initio. Nam peccatum originis per se nō in est. At Deus condidit omnia, quacunq; fecit, BONA, hoc est, voluntatis consentanea, & destinata ad bonos viſus.

XXXV.

Ergo non potest dici peccatum originis substantia, vel eterna, ne Deum aeternum ex peccato originis faciamus: vel conditum in primorū exordio scilicet, quia ibi nullum habet locum peccatum.

XXXVI.

Et immota est sententia Psalmi 5. Non Deus volens iniquitatē tu es. Item: Odiisti omnes, qui operantur iniquitatem. Non igitur vult, non efficit, non approbat peccatum Deus.

XXXVII.

Damnamus itaque veterum Manichæorum blasphemiam, quid Deus malus, malas res, inter quas etiam sit peccatum, initio crebit; Bonus verò Deus, res bona efficerit. Est enim unicus dux-

DE SECTA MANICHÆORVM. 15
xat verus Deus, qui fecit seu creauit omnia, & quidem, bona omnia, teste Moyse, Gen. 1.

XXXVIII.

Legimus autem in sacris literis, primum auctorem peccati esse Diabolum, teste Christo, Ioh. 8. In veritate, inquit, non sicut; & Iohanne, Ab initio Diabolus peccat. i. Ioh. 3.

XXXIX.

Deinde ex Moyse discimus; impulsu Satanae, sine voluntate, iussu, impulsione, comprobacione Dei creatoris, homines primos, Adamum & Euam, peccatum commisisse. Gen. 3.

XL.

Imò Deus, ut seuerissimè prohibuerat, ita grauissimè mox accusabat peccatum illud primum, & peccatores ipsos, eosq; temporalibus atque aeternis pœnis iure sua legi subiiciebat. Gen. 3.

XLI.

Sed additur mitigatio & auxilium ex misericordia Dei, propter venturam victimam, de qua quidem re decretum cœlestis paternè reuelatur. Hæc igitur est vox Euangeli de Christo, & remissione peccatorum per ipsum.

XLII.

Peccauit autem Eua & Adam, non tantum oculis intuendo poma, aut auribus Satanæ sermonem audiendo, aut manibus poma illa contrectando, aut dentibus mordendo, aut gula deuorando, sed mente etiam & voluntate, & corde assentiendo mendaci isti Spiritui, relinquen-

do verbum Dei, hosti ipsius Dei sese committingo. Totus igitur homo, anima scilicet & corpore, in hoc facto peccauit contra Deum conditorem suum, & ipsius sacrosanctum mandatum; qua de realias copiosius.

XL III.

Hæc *magis* primorum parentum, non tantum iram Dei grauissimam, & penas temporales atq; æternas attulit, sed etiam in effectu euestigio expoliationem atq; amissionem imaginis diuinæ in rebus spiritualibus, nempe iustitiae & sanctitatis accersiuit, ac vicissim fœdam iniustitiam & impuritatem in corpus & animam intulit, ita ut immundicia horribilis totam hominis substantiam peruerterit & occupauerit.

XL IV.

Hæc est illa nuditas, hoc est, expoliatio, & simul horrenda deformitas, de qua primi homines miserabiliter querulantur ac lamentantur, & propter quam à conspectu Dei abhorrebat. Gen. 3.

XL V.

Cum autem Deus post lapsum Adæ & Euæ noluerit pro suo iustissimo iudicio, substantiam Adæ & Euæ, seu individuum, mox abolere penitus, atq; alios homines in ipsorum locum condere. Item, cum noluerit statim impuritatem illum totius substantiae ipsorum, quæ peccatum subsecuta fuerat, funditus extirpare, plenamq; eis vicissim imaginem sui restituere: nec voluerit mutare rationem & ordinem propagandi genus humanum, ante lapsum à se institutum. Itaq;

ex ta-

ex talibus impuris, immundis, iniustis parentibus nascuntur impuri, immundi, iniusticiæstus.

XL VI.

Materia, ex qua homo iam naturaliter, hoc est, ex mare & femina, nascitur, est immunda. Ergo talis quoq; est substantia hominis, scilicet immunda, ira Dei, & penes temporalibus atq; æternis digna, Gen. 3. 4. Eph. 2. *Eramus natura filij ira.*

XL VII.

Hoc igitur esse seminarium, ut sic vocem, *peccati originalis*, luculenter docet Paulus, Rom. 5. Per Vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransiit, eo quod omnes peccaverunt.

XL VIII.

Omnes igitur homines, quotquot naturaliter ex viro & muliere nascuntur in hunc mundum, substantiam peccato originis immundam, pollutam, depravatam in hunc mundum afferrant, ut & Psal. 51. testatur: *Ecce, in iniquitatibus conceptus sum.* Iob. 25. *Nunquid iustificari potest homo, comparatus Deo, aut apparere mundus, natus de muliere?*

XL IX.

Damnamus igitur iuxta censuras Ecclesiæ veteris, Pelagianos, qui contra scripturam sacram, & omnium hominum experientiam, delirant, naturam humanam absq; contagio peccati originalis nasci ex parentibus.

L.

Nam morbi infantum in utero, & mox æditorum in hanc lucem, malitia, calamitates &

miseria innumeræ, & mors, testantur luculentissimè; Naturam humanam esse immundam.

L I.

Repudiamus & Sacramentiorum errorem, quod Sanctorum liberi magis ad promissionem gratia pertineant, quam Ethnicorum, ac sit in eis baptismus magis ob signatio fœderis, quam medium, quo regenerentur, eis promissio Euangeli applicatur.

L II.

Damnamus & Scholasticorum errorem grauem; Naturalia post lapsum mansisse integra.

L III.

Hinc autem sacræ literæ, & omnes Orthodoxi, accurate doceat discernere, inter opus Dei, & peccatum, inter creationem hominis in hac propagatione, & immundiciem hominis.

L IV.

Nam immota doctrina verbii diuini est, Deum etiamnum creare, formare, condere homines, dare eis animam & corpus, hoc est; Substantiam, qua sunt homines, id est, creaturæ eius, in quibus personaliter unita sunt corpus & anima. Psal. 100. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Psalm. 127. Ecce hereditas Domini filij sunt; & sequens Psalmus vocat benedicti nomen Domini. Iob. 10. Manustua, Dominus, fecerunt nse, & plasmaverunt me, &c.

L V.

Immota etiam sententia est, Diabolum non creare, formare, condere substantiam hominis, nempe corpus & animam. Non enim est Deus.

Sed

Sed Paulus inquit: *Qui creat omnia, Deus est,* Heb. 3. *Quidquid igitur est substantia, & quidem creata substantia, id est à Deo, iuxta Apostolum.*

L VI.

Immota & hæc sententia ex verbo Dei est, *Deum in posteris Adam non condere, non formare, non velle, non approbare peccatum, sine Attuale, sine Originale appellatur*, quia hoc foret contra bonitatem & iustitiam Dei, &c.

L VII.

Vnde igitur est peccatum, quod omnes posteri Adæ naturaliter propagati habent in corpore & anima sua? Respondeat Paulus, *ex Adam intravit in omnes homines*. Rom. 5. Non inquit, *ex Deo intravit*.

L VIII.

Ergo manifestum est, ex immundicie, ex luce, ex impuritate parentum, impuritatem hanc, que dicitur peccatum Originis, in liberos deriuari, atque effluere; iuxta Paulum. Et Oseas inquit, *Perditio exte est.*

L IX.

Nam, quia homo formatur ex semine parentum. Semen autem illud parentum est immundum, non quidem ex Deo, vt iterum atq; iterum repetendum est, sed ex Adam, & sic consequenter ex posteris eius. Proinde peccatum originis ex parentibus est, quia ex ipsis semen est, quod, vt diximus, immundum est; Nec potest, nec de-

20 D. CVNRAD. SCHLVSELE:
bet Deus per hiberi peccati originalis, vel crea-
tor, vel propagator.

LX.

Propagat enim & creat Deus naturam huma-
nam, non peccatum, quod ex parentibus est.

LXI.

Homo, quatenus homo est, à Deo conditus
est; Peccatum autem originis à Deo non est.
Non enim est homo, quatenus peccatum origi-
nis in eo est, sed quatenus corpus & animam ha-
bet.

LXII.

Natura, ut sèpiùs inquit Augustinus, *in suis*
contra Manichæos scriptis, à Deo est, sed vitium e-
ius à Diabolo est. Nam is hominem perdidit.

LXIII.

Sunt igitur blasphemæ in Deum voces, quas
recentes Manichæi interdum ore, sicuti nos i-
psimet audiūimus, ebueccinant, peccatum originis
creari, effici, propagari, & sustentari à Deo. Quid
potest dici horribilius? Nulla glossa, quantum-
uis audaci, hæc verba excusari possunt. Sed non
mirum est, eos in eiusmodi blasphemias voces e-
rumpere, qui tanta audacia & pertinacia asse-
runt, peccatum originis esse substantiam.

LXIV.

Talis & altera illa blasphemia est scriptis pro-
lata, *Deum iam quoq; omnia substantia* & acci-
dentalia in homine, mala & bona, qualiacunq; ea
sunt, creare. Au non hæc sunt monstrosa porten-
ta, à nullo recte sentiente Doctore in Ecclesia
Dei

DE SECTA MANICHÆORVM. 21
Dei vñquam audita; sed tantum in recentium
Manichæorum schola nata & prolata.

LXV.

Recte igitur dicit Paulus, *peccatum intravit in*
Omnes homines, ne tantum in Adam.
Recte etiam sentiunt & loquuntur Orthodoxi
in Ecclesia Christi, *peccatum accessisse ad naturam*
humanam, & accedere abhuc ad naturam huma-
nam ex hominibus, quando substantiam hominis,
hoc est, corpus & animam creat, format, propa-
gat Deus omnipotens; non quidem extrinsecus, quia
iam est in parentibus, sed quia semen parentum, ex
quo homo formatur, vitium est peccato; non à
Deo, vt dictum, sed ex hominibus.

LXVI.

Conseruat quidem Deus naturam huma-
nam, in qua est peccatum. Sed non est autor,
non approbator, non propagator, non conser-
vator peccati.

LXVII.

Nam Christus purgat potius peccatum ex
natura humana per regenerationem, ut postea
dicendum erit. In hoc quidem seculo per Spi-
ritum sanctum inchoatiuè, in resurrectione ve-
rò frnditus & omnino auferet. *Matth. 19.*

LXVIII.

Sinit quidem Deus peccatum originis tam te-
naciter in natura humana inesse, tanquam pœ-
nam peccati, in Paradiso cōmissi; sed tamen non
potest propriè dici, *Deum conservare peccatum*,
illud, aut creare, aut propagare, sed manet in na-

tura, quæ tantoperè corrupta est, vt in hac vita,
licet inchoetur nouitas, tamen non penitus
mundificetur.

L XIX.

Totam autem hominis substantiam, hoc est,
corpus & animam, peccatum illud originis pe-
netravit, occupauit, corruptum, deprauauit cum
omnibus viribus, vt supra adstruximus, ita vt ni-
hil sani sit in homine toto, propter hanc lucem,
a planta pedis usq; ad verticem.

L XX.

Non itaq; fingendum est, quòd peccatum o-
riginis sit aliquid extra hominem. Sicuti enim
lepra morbus, non est aliquid existens aut subsi-
stens extra corpus hominis: Ita & hæc malitia
sive iniustitia originalis non est aliquid, seu ali-
qua substantia, extra substantiam hominis; imò
neque est substantia in ipso homine, sed est M A-
L V M, vt Paulus nominat, *in homine*, id est, in ho-
minis substantia habitans, cui quidem grauissi-
mo testi meritò fides habenda est. Item, *est lues,*
est vitium, est lepra, est malitia, est iniustitia, est
corruptio in substantia hominis, vt Orthodoxice-
teres atque recentes loquuntur.

L XXI.

Non igitur peccatum originis in cute saltem
extrema hominis adhæret, vt color, vt aspergi-
nes rubræ aut luteæ: Non capillis duntaxat in-
cumbit, vt corona in capite pueræ: Non in car-
ne tantum hæret, vt lepra (licet, secundum quid,
recte à Lutherò *lepra* vocetur:) Non ob sider so-
lum mo-

Illummodò homines, vt Diabolus sua substantia,
permittente Deo, homines occupat; sed vni-
uersam hominis substantiam, hoc est, corpus &
animam eius ita pererasit, vt nihil prorsus in sub-
stantia & viribus hominis sit, quod peccatum o-
riginis non penetrauerit atq; vitiauerit.

L XXII.

Non tamen peccatum originis ipsum est sub-
stantia, aut natura humana; Nam *natura, in*
quantum natura, teste verbo Dei, & omnibus
sanis scriptoribus in Ecclesia Christi, *est à Deo*.
Peccatum originis est vitium, quod intravit in
Adam, & inde ex hominibus in posteros. *Rom. 5.*

L XXIII.

Quando igitur peccatum originis considera-
tur, rectè monet *Apologia Augustana*, & omnes
sani atq; intelligentes Doctores Ecclesiæ Chri-
sti, hæc expendenda esse, & quidem coniunctim.
Carentiam nimirum iustitia debita inesse. Recatum
propter lapsum primorum parentum, & corruptio-
nem totius humanæ naturæ, qua quidem mala in o-
mnes posteros exundant.

L XXIV.

Primos homines, ex quo propagandum erat
genus humanum, accepisse à Deo iustitiam &
sanctitatem in corpore & anima, ac summam o-
mnium virium integritatem, nemo in Ecclesia
quidem Christi ambigit.

L XXV.

Nam conditus est homo ad imaginem Dei, vt
nimirum in tòra hominis substantia luceret sa-

pientia illustris de rebus diuinis & humanis, iustitia & sanctitas, vita pura & beata, ac dominiū supra creaturas, ipsi pro iudicio Dei subiectas.
Genes. 1. 2.

LXXVI.

Acceperunt autem hæc excellentissima bona à Deo creatore suo, non sibi aut pro se se tantum, hoc est, vt ipſi ſoli hiſce bonis fruerentur, ſed vt propagarentur in omnes posteros, quotquot vñquam pro Dei beneplacito in hunc mundum nascituri erant. Huc enim pertinet benedictio diuina. *Gen. 1.*

LXXVII.

Sed quia lapsus in Paradiso commiſſum, illico ſubſecuta eſt expoliatio ſumorum bonorum, & corruptio horribilis in corpore & anima. Itaq; non potuerunt sanctos & puros homines ex ſuo ſemine, quod erat depravatissimum, procreare aut generare. Hinc eſt illa tristis vox, *Adamum genuiſſe liberos iuxta ſuam imāginē*, id eſt, qualis tunc post lapsus erat effectus.

LXXVIII.

Omnis nos igitur, qui carnali propagatione in hunc mundum nascimur, carere gloria Dei, Paulus *Rom. 3.* clara voce pronunciat, idq; non tantum respectu actualium peccatorum, ſed etiam originalis peccati. Nam cap. 1. dixerat, *Iram Dei reuelari ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum.* Nemo autem inficias ibit, in Ecclesia Dei quidem, *quin peccatum originis sit iniuſtitia.*

Erat

LXXIX.

Erat autem ſumma gloria hominis integri, iustitia & sanctitas, quæ in anima & corpore hominis, omnibusq; viribus lucebat, & lucere in omni posteritate debebat.

LXXX.

Hac igitur gloria, omnes posteri Adæ, carnaliter, vti diētum, propagati, carent. Opponitur autem gloriæ, *ignominia*, quæ ſuccellit, de qua docebunt ſequentia.

LXXXI.

Omnis etiam mortales eſſe reos iræ Dei & pœnaruſ temporalium atq; aeternarum, propter lapsus primorum parentum, testatur verbum Dei, & calamitates multiplices, quæ omnes homines attingunt.

LXXXII.

Nam Paulus inquit: *Peccatum per unum hominem, in omnes homines intrâſſe.* Item: *Mortem regnâſſe ab Adam vſq; ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præmaricationis Ada.* Item adhuc clariū, *per unius delictum*, inquit, *in omnes homines in condemnationem.* Lutherus annotat, peccatum *Ada noſtrum proprium factum eſſe.*

LXXXIII.

Etsi autem ratio humana hic cum Deo conatur disputare & expoſtulare; cur posteri Adæ, qui non adfuerunt in Paradiso, neg, conſenſerunt lapsui, pœnis tantis, utpote temporalibus & aeternis, ſubiecti ſunt? Tamen ſciamus, nos eſſe creatures, iudi-

cem verò esse Deum. Nos esse miseris & corruptos homines, Deum autem esse iustitiam tota esentia sua. Imò cogitemus & hoc, primos parentes semetipsos perdidisse, & hanc tatem depravationem sibi metipsis accersuisse. Transcunte igitur ipsa immundicie in posteros, quæ in verbo Dei appellatur, & est reuera peccatum; Ergò & ira Dei iustissima est contra peccatores.

LXXXIIII.

Deploremus itaque non tantum primorum hominum, parentum nostrorum, horribilem lapsum, sed etiam nostram immundiciem, quam naturaliter nascentes in hunc mundum omnes, in corporibus atq; animabus nostris, habemus. Nos metipsos iniustitiae accusemus, non DEVM, vt in Propheta dicitur: *Ex te perditio tua.* Cohortescamus grauitate lapsus, grauitate damnorum subsecutorum, grauitate iræ Dei, potentia & tyrannide Diaboli. Nec parui estimemus omnis generis signa reatus, quæ in homine & extra eū apparent. Et pluris faciamus dilectionem Dei patris erga tam immundos homines, & meritum Iesu Christi, qui venit, ac sanguinem fudit, vt opera destrueret, nosq; sibi mundato saluaret, vt postea iterum erit dicendum.

LXXXV.

In iudicio quidem Politico, regulaiuris est; ne innocens pro nocente supplicijs adficiatur. Sed coram Dei iudicio etiam posteri, vt habet Legis rigor, *Exod.* 20. propter parentum scelera, pœnis subiiciuntur, nisi penitentiam egerint. Nam

Deus,

Deus, sicuti peccatorum atrocitatem & magnitudinem magis perspicit, quam omnes creaturæ; ita etiam, pro sua diuina & immensa sapientia & iustitia, potestatem habet pœnam decernere atq; infligere. *Est enim iustus iudex,* inquit Psalmus. De iure ciuii etiam posteri eorum, qui crimen læse Maiestatis committunt, puniuntur. Cum igitur primi parentes summan Maiestatem diuinam contumeliâ affecerint, iure in eorum successores peccatum illud redundat.

LXXXVI.

Porrò in doctrina de peccato originis, non tantum expoliatio primorum parentum consideranda est, quæ quidem nostræ parentiæ causa est: Nec tantum reatus propter ipsorum lapsum; sed etiam propria corruptio Naturæ humanae, quæ in omnes posteros, carnali modo procreatos, propagatur.

LXXXVII.

Sic Psalmus 14. inquit: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum.* Item, *Simil inuitiles facti sunt.* Et hoc testimonium citatur à Paulo, *Rom.* 2. Item homines mente corruptos notat. *i. Timot.* 6. & 2. *Timoth.* 3. Nominat & impietatem atque iniustiam hominum. *Roman.* 1. In Osea dicitur *perditio, cap. 13.* Alias & depravatio, & malitia, & perfidio appellatur.

LXXXVIII.

Hæc autem corruptio hominis, est immun-

28 D. CUNRAD. SCHLVSSEL.
dicia & malitia totius humanæ naturæ, & omnium
virium hominis.

LXXXIX.

De immundicia docet Iob 14. *Quis dabit mun-
dum de immundo? ne unus quidem.* Ezech. 4. *Om-
nis caro immunda.* Item, *Lex de purificatione pa-
rientium significabat.* Matth. 23. *Intus pleni estis
rapinæ & immundicia.*

X C.

De malitia, Rom. 1. *Repletos omni iniusticia &
malitia.* Rom. 8. *Sensus carnis mors est,* & inimi-
citas aduersus Deum.

XCI.

Sicutum genus humanum tenebrae vocatur,
non tantum propter defectum aut carentiam
lucis & sapientiae in rebus spiritualibus ac diui-
nis, sed etiam propter maliciam; quia tenebras
amant, gignunt, singunt, amplectuntur, promo-
uent.

XCII.

Item, *Concupiscentia appellatur.* Ro. 6. 7. Gal.
5. Jacob. 1. 1. Ioh. 2. 2. Pet. 1. Complectitur enim
haec vox totam malitiam hominis, & fructus eius.

XCIII.

Estigitur haec corruptio in mente caligo in re-
bus diuinis, & malitia abhorrens, & damnans di-
uina dictata, & singulis falsa numina, falsos cul-
tus, aut probans ea magis quam quæ Deus re-
uelat.

XCIV.

In rebus verò humanis & externis, mēs quoq;
valde

DE SECTA MANICHÆORVM. 29
valde cæca est, crebrò erratiudicio & ratiocina-
tione, vel nō cernens, quæ vera, recta, iusta sunt,
vel sponte ab iis declinans. Huc pertinet nō tan-
tum magna imbecillitas cognitionis iudicij, me-
moriæ in mœte, verùm horribilis quoq; peruer-
sio ac malitia, vt Paulū suprà audiuiimus docen-
tem. *quod homines sint corrupti mente.* Item, i. Corinth.
2. inquit, *Hominem naturalem, habero res
Dei pro mera stultitia, hoc est auersari & damna-
re eas.*

XCV.

Est haec corruptio in corde hominis & voluntate
eius, videlicet, quod cor odit Deum, non
timet, non diligit Deum, amat res inconcessas,
est magna Ætria, magna peruersitas & malitia
in corde.

XCVI.

Est in voluntate hæc corruptio, quæ abhor-
ret res Dei, vult, desiderat, cōplectitur, exequi-
tur res prohibitas.

XCVII.

Sanctus Paulus de se renato inquit: *Non quod
volo bonum (scilicet, iuxta renouationem) hoc fa-
cio, sed quod nolo M A L V M, hoc facio.* Ergò ista
prauitas & malitia in voluntate faciédi mala, hoc
est prohibita lege Dei, in nondum renatis, mul-
tò est atrocior & sacerior.

XCVIII.

In membris quoque reliquis totius corporis

humanī, inest corruptio tetra, & malicia horribilis, multiplex infirmitas, & mortis causæ ac prodromi.

XCIX.

In rebus externis superest quidem aliqua facultas eas cognoscendi, appetendi, iudicandi, exequendi, verū caligine, malicia, imbecillitate vehementer depravata & retardata, imò sèpè in contrarium fertur voluntas, nec audiit rationem. De rebus vero diuinis & Spiritualibus, ratio nihil nouit naturaliter, imò, vti diximus, abhorret ab eis, profluitus eas habet, teste Paulo grauissimo Ecclesiae Christi doctore.

C.

Damnamus igitur irre Manichæos recentes, qui hanc vehementem & horribilem quidem depravationem naturæ humanæ, afferunt esse substantiam, & contendunt, hæc vocabula iniuriam, iniustiam, corruptionem, malitiam, concupiscentiam esse vocabula essentiæ, seu, iniustiam, esse substantiam, malitiam esse substantiam, Impietatem esse substantiam. Nam verbum Dei non sic docet.

CI.

Est quidem iniustia in anima & corpore hominis. Malitia est in substantia hominis. Substantia est subiectum, in quo hæc mala sunt, & considerantur in hoc subiecto, quia peccatum originis ei inest. Sed hæc mala, vti generaliter Paulus nominat, non sunt substantiæ, ac disertè inquit Apostolus: *Ego venundatus sum sub peccatum:*

D/E SECTA MANICHÆORVM. 31
catum. Item, *In carne mea non habitat bonus,* Peccatum habitat in me. Roman. 7. Discernit igitur subiectum, & peccatum in se habitas, tanquam hospitium & hospitem, tanquam Mancipium & eius Dominum.

CII.

Neque cauillum illud moramar, quod Manichæi criminantur, nos abstracta tantum adferre sine subiectis, & docere, peccatum originis esse quiddam abstractum à substantia. Sed manifesta est isthac calumnia. Loquimur enim more Scripturaræ sanctæ, & nequaquam somniamus peccatum originis, Concupiscentiam malam, Iniustiam, Impuritatem, extra subiectum hominis naturaliter prognati; qua de re nostrorum Doctorum scripta luculérum præbent testimonium, & eiusmodi figura Manichæorum potenter per Dei gratiam, refutant. Sed nunc reliqua prosequemur.

CIII.

Peccati originis & hæc est ratio, vt in omnes posteros Adæ, qui quidem carnali ratione nascuntur in hunc Mundum, propagetur ac deriuatur, vt David inquit, *Ecce, in iniunitatibus conceptus sum,* Psalm. 51. Et Paulus; *Ter unum hominem peccatum intravit in hunc mundum.*

CIV.

Neque tamen huius vitij deriuatio, est ex legi procreationis, quæ est Deus opus, sed ex impuritate, vti diximus, quæ semini parentum, tanquam Materiæ ex quâ Hominum, mixta est. Ac

tribuendum est Deo, quod ipse efficit atque operatur, nempe substantiae, seu corporis & animae creatio, ac deinde homini, quod ab ipso est, nimis etiam ealues & tabes.

CV.

Ex renatis quoque parentibus, peccatum originis in liberos deriuatur. Causa eius rei est; quia Spiritualia bona post lapsum non propagantur naturaliter, estque in renatis quoque lues illa originalis, licet sit propter Christum remissa, nec dominetur, & inchoata sit aliqua nouitas, ut mox dicendum est. Paulus inquit, *Eramus natura filij ira.* Ephes. 2. Estque vniuersalis oratio, ad omnes Ad eos posteros, naturaliter procreatios, pertinens.

CVI.

Neque est peccatum originis, *habitans in substantialia hominis*, ut Apostolus loquitur, Roman. 7. ociosum, ignavum, quietum, sed est malum, subinde ex aestuans, ebulliens, & malos fructus, tum interiores, tum exteriores, proferens. Ac dominatur quidem hoc ingens ac perniciosum M A L V M, in omnibus hominibus, nondum renatis. In renatis vero, licet per Spiritum sanctum premitur, & fide sancti relucentur; tamen perpetuò, dum presentem vitam incolimus, luctatur aduersus Spiritum, Galat. 5. Paulus renatus lamentabiliter has voces profert, *Non quod volo, hoc ego, sed quod odi, illud facio.* Item, *Video aliam Legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captiuatem me legi peccati, qua est in membris*

DE SECTA MANICHAORVM. 33
bris meis. Hoc duellum non est ficticium, neque exiguum in renatis.

CVII.

Damnamus Pontificiorum doctrinam, quod peccatum originis in renatis tantum sit forma. Nam haec vox & doctrina peccati originis extenuat, & vires liberi arbitrij immodecum praedicat.

CVIII.

Etsi autem cubare videtur peccatum in hominibus profanis & impiis, Genes. 4. Tamen ibi omnium maximè dominatur, & ipsa securitate potens est. Tandem verò legis tuba validissima exuscitatur, & nisi Christus adferat consolacionem, homines occidit. 2. Corinth. 3. Rom. 7.

CXIX.

Est igitur peccatum originis, etiam reuerba peccatum in nobis posteris, nec solum reatus, sed propria lues, propria immundicias, propria iniurias, propria malitia, ac res digna ira Dei & morte. Rom. 5. Per peccatum mors.

CX.

Effectus igitur peccati originalis sunt, *Omnis generis peccatum actualia interiora & exteriora, contra priorem & posteriorem Decalogi tubulam.*

CXI.

Reperiuntur autem istae phrases in sacris litteris; *Ex corde egrediuntur cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes, furtæ, falsa testimonia & blasphemia.* Matth. 15. Item Gal. 5. Opera carnis sunt, adulterium, fornicatio, immundicia, &c. Et, peccatum in me habitans, operatur malum. Ro. 7.

CXII.

Sed hæ phrases, iuxta sacræ Scripturæ declarationem dextrè accipiendæ sunt. Nam Christus Matth. 12. disertè inquit: *Bonūs homo de bono thesauro cordis profert bona, & malus homo de thesauro malo, profert mala.* Docet ergò Christus, hunc esse sensum suorum verborum, ex corde egrediuntur cogitationes mala, scilicet, ex corde malo non renato. Non enim simpliciter ex corde humano exeunt peccata, sed ex corde depravato, in quo peccatum originis habitat. Nam si extra hoc inhabitans peccatum foret, cor non gigneret peccata. Cor Adæ ante lapsum, non genuit peccata. Hoc nostrum cor, quod iam in thorace gerimus, non proferet peccata in æterna vita; Imò iam quoque renatum cor incipit bonos fructus proferre. Sic Christus ibidem inquit: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* Item, *progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis malis?*

CXIII.

Sic in Paulo phrasi peculiari Scripturæ sacrae, *Caro toram hominis substantiam significat, sed peccato originis depravatam.* Nam aliás, si absque peccato hoc esset, non gigneret ista peccata. Est itaque peculiaris Scripturæ sanctæ phrasis, *carnem interdum pro depravata carne, & quemadmodum pro tota hominis substantia,* per Synecdochen usurpari.

Eadem

CXIV.

Eadem ratione peccatum dicitur operari mala, seu alia peccata, qui in homine est, & membra hominis virtutem, seu est virtum, lues, morbus, malum in membris, perinde ut in communi sermone dicimus, *Morbus hoc fecit, Phrenes haec egit;* Vbi quidem homo vehementi morbo, seu phrenesi corruptus, id perpetravit.

CXV.

Hanc suam phrasin luculenter declarat ipse Paulus, in ipsis orationibus, vbi Peccatum & membra hominum coniungit, ut hoc ipso capite inquit, *Carne servio legi peccati.* Item, *Pastiones peccatorum operabantur in membris meis.* Et cap. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Non exhibeatis membra vestra armis iniquitatis peccato. Servi estis peccati. Exhibuitis membra servire iniquitati. In hisce sententiis, substantia hominis, & peccatum, coniunguntur, in peccatorum generatione.

CXVI.

Nam propriè cogitationes & omnes actiones, interiores & exteriores, tribuuntur animæ & corpori hominis, id quod extra omnem est controuersiam. Quod verò malè agit anima & corpus, peccatum seu lues & immundicia originalis in causa est.

CXVII.

Peccato propriè loquendo, non possunt nec debet tribui cogitationes, auditus, visus, tactus, olfactus, iudicium de rebus, memoria, loqua-

36 D. CYNRAD. SCHLVSSELIN
incessus, sessio, & aliae actiones, ipsi substantiae
competentes. Sed quod malae sunt cogitationes, oes
sensus peccati: id vero isti contagio, vitio, deprava-
tione, tribuendum est, quod ad naturam huma-
nam accessit. C XVIII.

Quomodo autem id fiat, nemo hominum per-
spicere aut explicare valet. Evidet non vides,
quomodo phrenesis malas actiones in mente ho-
minis cieat, aut quomodo febris vana sonia pin-
gar. Quomodo igitur cerneret aut explicare pos-
set vim istam contagij originalis, quod non cor-
pus solum, sed & animam corripuit atque vitavit?

C XIX.

Affert peccatum iram Dei & mortem, ut te-
statur Paulus, *Roman. 5. 7.* Est enim res, sua na-
tura indignatione Dei, ac pœnis tum temporalium
bus tum æternis digna, utpote iniusticia, Legi
Dei contraria. C XX.

Hinc est quod moriuntur propter hanc lucim,
qua infecti sunt, etiam infantes in utero matri,
in partu, in cunis iacentes, & regenerati, qui ve-
re templi Dei sunt; quia reliquias peccati origi-
nalis in se habent, & hoc pertinent varij morbi.

C XXI.

Omnis itaque calamitates, aduersitates, diffi-
cultates, in universo mundo, propter peccatum
originalis in homines grassantur. Nam dolores
partus, laborum asperitas, terræ sterilitas, pec-
cati pœnae sunt, ut Moyses testatur, *Gen. 3.*

C XXII.

Hinc & tyrannis Diaboli eius potentia in hoc
mundo,

DE SECTA MANICHÆORVM. 37

mudo, tot oppressiones veræ religionis, tot bel-
la, tot mutationes regnum scaturient. Nam si
absque peccato Originis foret, nihil haberet Dia-
bolus potestatis in res humanas.

C XXIII.

Et, ut breviter expediam, cæcitas hominum,
stupor in mente, prauitas iudicij, cordis duricia,
errores, scelerata omnia, miseria omnes, aduersi-
tates omnis generis, corporis & animæ resolu-
tio, denique huius visibilis mundi interitus, & pœ-
næ æternæ non agenit pœnitentiam, ex pec-
cato originis promanant.

C XXIV.

Ingens igitur est peccatum originis, ratione
corruptionis animæ & corporis, ingens est, ra-
tione offensionis Dei, ingens est, ratione grassa-
tionis in tota hominis substantia, ingens est ratio-
ne pœnarum temporaliarum atque æternarum. Ne-
quaquam igitur peccatum originis extenuandum
est, sed iuxta verbi diuini declarationem, non autem
iuxta delira Manichæorum capita, est serio exagge-
randum.

C XXV.

Est tamen huic ingenti malo, quod uniuersam
hominis naturam peruersit atque corruptit, in-
uentum remedium, non ex lege quidem, ve-
rum ex Euangelio. Nam filius Dei unigenitus
destinatus est victimæ, quæ pro peccatis totius
mundi satisficeret, & substantiam humanam
non solum reconciliaret Deo Patri, sed etiam
à contaminatione atque lue peccati pe-

penitus expurgaret, eamque mundam penitus & iustam efficeret; *Ioh.3. Rom.4.1. Ioh.1.2.3.*

CXXVI.

In regeneratione autem, quæ fit per verbū & Spiritum sanctum, ut Christus docet, *Ioh.3.12.* tum condonantur peccata gratis propter Christum credenti, (ita ut Deus nō velit imputare amplius peccata, non propter ea abiicere in æternā condemnationem, immo ut imputet etiam credentibus iustitiam, sanguine Christi partam) tum inchoatur renouatio per Spiritum sanctum, ita ut incipiat homo talis Deum verè cognoscere recte timere, ei credere, eum inuocare & celebrare, ac proximum sine fuso diligere.

CXXVII.

Verūm hoc iterum atq; itetum contra Gnosticorum, Catharorum, quorundam Anabaptistarum furores, & aduersus criminationes non nullorum petulantes, tenendum est, renouationē in hac vita, quæ fit in Sanctis per Spiritum sanctum, non perfici, non absoluī, cuius quidem rei euīdens Testimonium est atra mors, iustū & iniustū deglutiens; sed inchoari duntaxat. Plene autem fiet in resurrectione ex mortuis, ut docet Christus, *Matth.19.* Tum vero radicitus ex Natura seu Substantia humana, extirpatō peccato, iusticia Dei induemur ac lucebimus in æternū. *Cathari dicti sunt, qui se reliquis vita & moribus puriores esse iactarent.*

CXXVIII.

Hinc est quod Lutherus, & recte quidem, in *Genes. cap.38.* dixit: *Mortem & PECCATVM esse mala separabilia, tali scilicet pacto, quo monuimus.*

CXXIX.

Non enim sunt nobis, hoc est nostris viribus separabilia ista ingentia mala; Sed Dei hoc opus est. Is enim imputat iustitiam, is incipit renouationem, is donat nouam lucem & vires, is in nouissimo die, quod hic benignè coepit, potenter absoluet; *Deo enim nihil est impossibile.*

CXXX.

Sophistica itaque digna odio est: *Nobis peccatum esse inseparabile, & non penitus separari in hac vita. Ergo, inseparabile esse.* Nam, vti diximus, separatio peccati à substantia, est opus Dei, & inchoatur in hac vita, & in reditu Christi ad iudicium excindetur funditus ex Natura hominis. Eo igitur respectu Lutherus dixit esse separabile.

CXXXI.

Hinc etiam liquet, *peccatum originis adhuc in renatis habitare, ut loquitur Paulus, ac rem esse sua natura dignam morte, & non esse mortuum, ut sic dicam, canem, sed maliciam, quæ subinde Spiritui sancto se opponit, & non tantum leuia, sed etiam grauia interdum in Sanctis peccata proferr, nisi Deus reprimat. Exempla sunt, Loth, Salomon, Petrus, & alij innumerabiles. Est tamen in renatis peccatum originis remissum per*

Christum, & nō imputatur credētibus in Christum, donec scilicet manent in fide, insuper sancti per Spiritum ei resistunt, ac petunt quotidiē, tum condonationē infirmitatis & multorum deictorum, tum gubernationem & vires, quibus hāc malitia nonnihil retundatur. *Rom. 7.*

CXXXII.

Repetita simplici, recta, perspicua & firma doctrina de peccato originis, ex solidis fundamentis sacro sanctarē Scripturā. Supereft, vt de controuersiis presentibus etiam pauca subiiciamus, videlicet, *An peccatum originis sit substantia, vel accidens vitium, &c.* Nam perspectis sinceras doctrināe fundamentis, iam vtra propositio veritati diuinę sit consentanea, liquidissimè patebit.

DE PROPOSITIONE.

Peccatum Originis est Substantia.

CXXXIII.

Ingenuè, palam, perspicue, sine omni tergiversatione affirmamus, hāc propositionē: *Quod peccatum originis sit substantia*, nō esse verbo Dei cōsentaneam, immo esse impiam & blasphemam, neque in Scholis aut Ecclesiis Christianis tolerandam, sed tanquam Manichaeam reiciendam, explodendam & damnandam, iuxta regulam, *Si quis alius Evangelium predicauerit, sit anathema*, Gal. 1. Et oportet vnuinqmqueq; Christianum seriō detestari & execrari omnia dogmata, citra omnē prosopolepsią, pugnantia cum Norma verbi diuini. Ac meritò improbantur, Academici, Sceptici, claudicantes, titubantes, cothurnifices,

& præ-

& præstigiaores omnes, qui vel ambigunt perpetuò, vel neutrales sunt, vel cæci sunt, ac dum silentium sese astutum præstare autumāt, ipsam veritatem Dei, quantū in se est, nefariè deserūt, eamq; sceleratè conculcari & opprimi sinunt.

CXXXIII.

Hanc autem propositionem duces Manichæ sententiaz, quæ nunc nouis pennis exornata, in scenam producitur, manifestè ponunt, vt videre est in titulis librorum typis excusorum, in conclusionibus syllogismorum, quibus nituntur, & hoc ipsum, quod volunt, inferunt.

CXXXV.

Licet patroni huius propositionis, vt moris est præstigioribus, mirificè varient propositionem, & non tantum verba, sed etiā res ipsas immurēt, quibus tamen non saluant propositionē suā, verū in iusto Dei iudicio magis prodūt, subindè crassius impingentes, qua de re suo loco.

CXXXVI.

Succenturiati autem, in auxilium laboranti & titubanti Manichorum propositioni: *quod peccatum originis sit substantia*, accurrentes: magna ex parte hāc propositionem, tanquā absurdam, & veteribus Manichæis, vt Augustinus docet, nimis familiarem, cuperent declinare, aliasq; substituere, vel perinde absurdas, vt hāc est, vel plus quam *dis dia pason*, à præcipua propositione discordantes, sicuti aliqui vociferantur, sese dimicare, *quod Natura humana sit corrupta*. *Quod hac corruptio sit in tota hominis substantia*.

quod peccatum originis sit maximum malum, quod penitus atque fruidit in hac vita à substantia humana separari nequeat. Quod non solum accidentia, sed etiam tota hominis substantia sit depravata. Quod homo sit peccator. Quod Christus redemerit totam substantiam à peccatis, Quod totus homo sit dilutus, confusus peccatis, & amiserit infinitam, ex universa sua substantia, &c. At qui de hisce sententiis nulla cum ipsis disceptatio est, nec sunt temerè vel malitiosè fingendi alij status, extra controversetiam. Hic igitur volubiles anguillæ constringendæ ac retinendæ sunt ambabus manibus fortiter, quod afferunt, *peccatum originis esse substantiam*. Hic est cardo rei, hic scopus, hæc est illa Helena, causa & origo huius tumultus in Ecclesia Christi, quæque multos in narragia, errores & tristissimos casus inducit.

CXXXVII.

Rationes autem, cur hæc propositio sit impia & profananda, inter plurimas, paucas tantum ex verbo Dei limpidissimo depromptas, in conspectu habeant pii.

CXXXVIII.

Labefactat & eucritit articulum seu doctrinā de creatione hominis, quæ initio facta est, & quæ etiamnum fit. Nam in ea doctrina nusquam legitur, *quod peccatum sit substantia*.

CXXXIX.

Omnis quidem substantias Deus creat, Heb. 3. *Qui creat omnia Deus est*, Ioh. i. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil, quod factū est.*

Sed

CXL.

Sed peccatum originis non est creatum à Deo, neq; in initio, neq; post; Ergò peccatum originis non est substantia. Deus condidit omnia bona initio, & quæ adhuc in mundo creat; quatenus quidem Deus ea creat, sunt bona. Sed peccatum originis non est bonum. Ergò peccatum originis non est conditum à Deo.

CXL I.

Ergò summa blasphemia est, afferere, *peccatum originis esse substantiam, esse creatam substantiam à Deo*, vt iam quidam Manichæi loquuntur. Nam eo pacto Moyses mendacij arguitur, qui inquit: *Omnia condita à Deo si bona*.

Corporis creatio, animæq; inferio est à Deo. Ergò anima, corpus, cor hominis, non sunt per se peccatum originis.

CXL II.

Nam si peccatum originis est ipsa anima, ipsum cor, vt affirmant recentes Manichæi, falsa est doctrina Moysis, *quod Deus creavit cor & animam hominis*.

CXL III.

Post lapsum quoq; substantiæ humanæ creatio opus Dei est, is creat corpus & animam hominis, vt te stantur dicta illustria scripturæ sanctæ, quorum quædam supra sunt annotata.

CXL IV.

Sed peccatum originis non creat Deus, quia immota est sententia; *Non volens Deus iniquitatem tu es*. Psalm. 5. Ergò peccatum originis non

est substantia, non est ipsa anima per se, aut ipsum corpus per se.

CXLV.

Igitur opus creationis diuinæ contumelia affectit doctrina Manichæorum, *quasi Deus sit creator peccati, quæ quidem blasphemia penitus tollit opus hoc creationis & propagationis naturæ humanae.*

CXLVI.

Peccatum originis pertinet ad maledictum, sed creatio hominum, quæ fit in mundo, ratione naturæ humanae pertinet etiamnum ad benedictionem Dei. Ergo hæc doctrina Manichæorum, *quod peccatum originis sit substantia, sit ipsa anima, sit ipsum cor*, prorsus abolet benedictionem Dei, in hac quotidiana creatione & propagatione hominum, quam noster Catechismus Deo adscribit. Appellat enim *Dei ordinationem & benedictionem.*

CXLVII.

Imò summa etiam blasphemia est, *Diabolum, creaturam malitiosam & excommunicatam à Deo, constitutum ipsius substantia humana, ipsius anima, ipsius cordis, creatorem*, ut Illyricus facit. In confes. latina pag. 319. ait, *Præna rationalis natura aut creature, quæ vocatur peccatum originis, est à Diabolo condita.*

CXLVIII.

Sed hæc omnia, Manichæa ista propositio affirmat, *peccatum originis esse ipsammet substantiam, ipsammet animam, esse ipsum cor*, cùm quidem scriptura tribuat peccatum Diabolo. Gen. 3. Ioh. 8. 1. Ioh. 3.

Ergo

CXLIX.

Ergo iuxta hoc Manichæorum dogma, *Diabolus est creator ipsius substantia, creator ipsius anima, creator ipsius cordis.* Sicut etiam recentes Manichæi, licet velint istum scopulum declinare, nequeunt. Nam fluent illi Manichæi, quibus se fere temerariè commiserunt, ipsos acutissimo isti scopulo validissimè allidunt, vnde in recenti libello adhuc eiusmodi verba effundunt.

CL.

Fingant igitur Manichæi recentes, quicquid velint, vertant se fere in virtutem, & polypi in milie formas, tamen in ista picea ac lerna palude hærent, ac suffocantur, *Diabolum esse creatorem substantię, creatorem animę, creatorem cordis, quia peccatum originis, cuius est Diabolus author, est ipsam substantię, ipsam animę, ipsum cor,* iuxta ipsorum doctrinam.

CLI.

Sic scilicet ad duo extrema (*quod vel Deus sit creator peccati, vel Diabolus sit creator substantia*) euertentia totum articulum creationis, allidunt, non aliter, atq; in summis tempestibus naues, sine malo, velo, remo, iactate, iam in istum, iam in aliun scopulum impingunt, donec ruptæ semel in profundum maris subsidant, nullo intentus sui reliquo vestigio.

CLII.

Labefactat & euertit hæc Manichæorum veterum & recentium doctrinam, *quod peccatum originis sit substantia, articulum & doctrinam de peccato multis modis.*

CLIII.

Nam si peccatum originis est ipsamet substantia hominis, non mansit post peccatum individuum Adæ & Eua, id quod tamen ipse textus in Moysè, Gen. 3. evicit.

CLIV.

Item, non mansit species hominum, sed alia noua species hominum ibi creata est, contra textum Moysis, qui docet, eandem hominum speciem mansisse. Ne autem aliquis hic rimas quæfat, aut nugas aliquas agat, species hoc loco usurpat, pro tali specie, sicuti Genes. 2. dicitur: Deum qualibet in sua specie condidisse, & iuxta species certas, distinxisse suas creaturas. Sicuti enim virtica alia species herbæ est, quam triticum; Ita homo alia species animalium est, quam bos aut equus. Et quidem manifeste sese produnt recentes Manichæi, assuerantes, nouam speciem hominis post lapsum effectam, id quod est contra Dei consilium, qui voluit eam ipsam speciem hominum post lapsum manere, vt eosdem redimeret à peccatis, & pristinę dignitati ex immensam misericordia restitueret.

CLV.

Item, si Adam & Eua post lapsum sunt nouæ species hominum, iuxta eam vocis significacionem, vt dictum est; Et ea species noua non est à Deo, tum sequitur, Diabolum esse creatorem, qui scilicet nouas species creaturarum considererit.

CLVI.

Aliud verò est, si dicas, species, id est, formam boni-

DE SECTA MANICHÆORVM. 47

bonitatis, iustitia, puritatis esse amissam, quadrum nemo inter rectè sentientes, dubitat. Sed bonitas, iustitia, non substantiae.

CLVII.

Si peccatum originis est substantia, non intravit peccatum in homines, seu in mundum, ac Paulus mendacij insimulatur. Ratio est, quia Manichæi dicunt, Peccatum esse ipsum cor, ipsum animam. Sed substantiam, animam, cor, priùs habebant homines, peccatum non habebant.

CLVIII.

Vel sequitur, ipsum cor, nimisrum peccatum originis, intrasse ipsum cor. Animam ipsam, intrasse ipsam animam, quia videlicet Manichæi dicunt: Peccatum originis esse ipsam substantiam, ipsum cor, ipsam animam. Sed Paulus inquit INTRASSE: Nota, intrasse. Quonam? IN HOMINES. Intrans malum est peccatum, teste Apostolo, subiectum, quo intrauit, est homo, seu omnes homines. Ergo audis Paulum discernere luculentem peccatum, quod intrauit, & hominem, in quem intrauit, nec dicit, peccatum esse hominem seu substantiam ipsum: & hinc appetit, quam nefaria hunc textum Pauli depravent, & cuertant recentes Manichæi.

CLIX.

Hinc porrò hæc monstra rerum sequentur, substantiam peccatum, vt substantiam quam priùs non habuerint primi parentes, accessisse ad substantiam hominis, à Deo creatam; Idem de anima & corde iudicium est: Ergo homo

constat duabus substantijs, altera quidem, cuius Deus est autor, altera, cuius Diabolus est autor. Item duabus animabus, & duobus cordibus ab ipsis diuersis & contrariis creatoribus conditis. An hoc non est insanire?

CLX.

Moyses inquit, *quod nuditas subsecuta sit lapsum primorum parentum*, hoc est, expoliatio iustitiae, sanctitatis, excellentiae summae & vitae beatae in corpore & anima hominis. Non inquit, substantiam prorsus interisse, aut aliam substantiam, diuersam à priori, quam Deus effinxerat, ibi conditam esse, aut Diabolum nouæ creaturæ, diuersæ ipsa specie, à priore specie hominum, ibi autorem fuisse, sed hanc ipsam substantiam, quam Adam & Eua ab ipso Deo acceperant, esse denudatam & deformatam horribiliter. Ergo Manichæorum doctrina, hac etiam in parte Moysen impugnat, & nouum doctrinæ genus conflat.

CLXI.

Imò si peccatum originis est substantia, & noua species hominum, priori specie hominum (propriè de specie, ut in Genesi usurpatur loquendo) prorsus abolita, est subsecuta, porrè sequitur, Adam & Euam post lapsum non esse creaturas Dei. Nam peccatum nequaquam est creatura Dei; Item illum Adamum, qui lapsus est, & illam Euam, quæ pomum momordit, non esse accusatos à Deo post lapsum, non esse in gratiam receptos propter semen ventrum, neque esse saluatos per fidem in Christum, sed nouam

DE SECTA MANICHÆORVM. 49

nouam duntaxat illam speciem hominum, cuius quidem non Deus, sed Diabolus est autor, iuxta Manichæorum sententiam.

CL XII.

Et quis non vterius cohorresceret, quod inde consequitur, *Diaboli creaturam & opus, receptum esse in gratiam à Deo, ei promissum semen benedictum, & non opus Dei, sed Diaboli esse redemptum, salvatum*, &c. Quia scilicet Manichæi contendunt, peccatum esse substantiam, & homines post lapsum non esse eiusdem speciei creaturas, ex ius fuerunt antea. Vident igitur omnes pīj, serū attendentes, quomodo hæc veterum & recentium Manichæorū doctrina, totæ historiæ Moysicæ de lapsu hominum contradicat.

CL XIII.

S. Paulus inquit, *se esse venundatum sub peccatum*; Iam, si peccatum originis est ipsam substantiam hominis, S. Pauli doctrina destruitur. Quomodo enim ipsam substantiam hominis, potest venundari ipsam substantiam hominis? Portentosam igitur interpretationem dicto S. Pauli ad fert Manichæorum dogma, quasi idem sit, substantiam hominis venundatam esse peccato, & substantiam venundatam esse substantia.

CL XIV.

S. Paulus inquit, *peccatum* (loquitur autem ibi propriissimè de originali) *in se HABITARE*. Atqui Manichæi contra pugnant, peccatum esse ipsammet substantiam. Ergo falsitatis arguitur S. Apostolus à Manichæis.

CLXV.

Nam monstra horrenda rerum & verborum sunt, substantiam humanam habitare in substantia humana, & ea quidem omnia ex eo dogmate nascuntur: Quod peccatum originis sit substantia ipsa. Sed Paulus accuratissime loquitur, In Me, inquit, id est, in mea substantia: Audis igitur, subiectum nominari. Quid vero in te, seu in tua substantia est, mi Paule? In me, ait, HABITAT peccatum, in mea substantia habitat originalis illalues. Ergo peccatum originis non est ipsam et substantia S. Pauli, sed malum, quod habitat in substantia S. Pauli.

CLXVI.

Sic inquit, sibi, id est, sua substantia adiacere peccatum, militare in suis membris. Item, iubet hoc vetus fermentum expurgare. Ergo Manichaeorum dogma Moysis & Pauli, immo si consideres, Davidis & aliorum testimonia de peccato, hoc est, vniuersam vniuersae sacræ scripturæ sententiam conculet & pessundat.

CLXVII.

Pugnat hoc dogma cum definitio peccati, quæ extat in sacris literis. Nam Iohannes inquit, οὐαὶ ταῖς ἀνθρώποις. Non dicit, est substantia. Nemo enim vel ex prophanis, vel ex sacris scriptis probare poterit, ἀνθρώποις, ἀδίκοις, iniustiam, idem significare quod SUBSTANTIA.

CLXVIII.

Si quereras, ubi sit, ubi habitat, & ubi fiat ἄνθρωπος? Recte responderetur, in tota hominis substantia,

DE SECTA MANICHÆORVM. 55
tia, hoc est, in corpore & anima, & omnibus vi-
tribus hominis sedet, habitat, inest peccatum o-
riginale, & in, & ex substantia hominis, in qua
peccatur, originis habitat, gignuntur peccata
actualia, & teriora, tum interiora.

IX.

Immo nullum vocabulum peccati, quod infa-
cbris literis extat, idem significat, quod SUB-
STANTIA, ut sunt Chattah, Anon, Pescha, A-
scham, Raa, abominationes, iniquitates, iniustitia,
impietas, fornicatio, prævaricatio, via mala, concu-
piscencia, cordis desideria, Anomia, Parabasis, &
alia multa.

CLXX.

Erigitur immanis furor, certare, quod Ano-
mia & similia vocabula idem sonent, ac sint, quod sub-
stantia. Quis enim eiusmodi delirium ex vlo vn-
quam Ecclesiæ Dei sano Doctore audiuist?

CLXXI.

Euertit hoc Manichæorum dogma visitatas Ecclesiæ Dei definitiones, & Apologiae Augusti.
conf. quod peccatum originis sit defectus & con-
cupiscencia: iam neq; defectus idem sonat aut est,
quod substantia, neq; concupiscencia idem est,
quod substantia, sed defectus & concupiscencia
sunt in hominis substantia, tanquam subiecto.
Restituetur autem ei subiecto seu substantia,
credenti in Christum, iustitia & puritas, & sic
substantia viuet in eterna beatitudine. Defectus
vero & concupiscencia non erunt vita beatæ
participes.

CLXXII.

Eadem ratione evertit hanc definitionem, hodie visitatam, *Peccatum originis est corruptio totius humanae naturae, qua in omnes homines progrebatur, modo nascentes propagatur, & facit ne sit substantia Dei & eternarum penarum, nisi pessimum loquitur de peccatorum fide.* Nam corruptio & substantia, in nulla lingua, neque in villa professione sunt propriæ ac prorsus idem. Corruptio quidem fit in substantia, veluti in subiecto, ut nihil hic de accidentibus dicam. Phrenesis igitur est manifesta & detestanda, quod corruptio & substantia sint vocabula Synonima & convertibilia.

CLXXIII.

Euertit doctrinam de redemptione humanæ naturæ; Nam Christus promissus & exhibitus est, ut opera Diaboli destrueret, i. Ioh. 3. Sed corpus & anima, seu substantia ipsa hominis, non est opus Diaboli. Opus verò Diaboli est peccatum, quod Christus destruit; Ergò peccatum originis non est substantia.

CLXXIV.

Quod si autem peccatum originis est substantia, sequitur, Christum venisse, ut destruat substantiam hominis. Item, ut destruat animam hominis, quod quidem portentum aperte Iohannis dictum deprauat & proterit; Sic scilicet os Spiritus S. Manichæorum spiritu est reformandū.

CLXXV.

Imò & humanam naturam in Christo, quam verè ex posteris Adæ suscepit; Necesse est, peccatum

DE SECTA MANICHÆORVM. 53
atum originis esse, *Si peccatum originis est substantia.*

Non enim aliam carnem habuit Christus, quam nos habemus, nisi quod peccato non fuit polluta.

Estque recentium Manichæorum error, *quod si Christus ipsa specie aliam carnem habuerit, quia nos.* Eripunt igitur nobis Saluatorem M. nichæi. Sicuti Illyricus insanit in conf. lat. fol. 116. *Non est humanitas Christi prorsus eiusdem specie cum nostra.* Idem dicit in confessione germ. H. 9. fac. 1.

CLXXVI.

Iohannes inquit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Hoc loco vox mundus visitata phrasí, homines appellantur. Huius verò mundi, hoc est, cunctorum hominum peccata, ait Christum portaturum. Non ait, Christus tollit homines, aut tollit substantias, aut tolleraniam, sed peccata hominis, substantiæ, animæ, cordis. Quale igitur portentum gignetur, si applicueris Manichæorum dogma, tali pacto: *Ecce agnus Dei, qui tollit substantias substantiarum?* Nam si peccatum est substantia, & sicuti insuper volunt, peccatum & substantia sunt Synonima, ac termini convertibiles, nihil aliud, quam hec fœda & abominabilis depravatio huius pulcherrimi dicti sequetur. An non igitur bellam glossam in Biblia, hæc Manichæorum principia gignent?

CLXXVII.

2. Cor. 5. dicitur, *cum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, &c.* Iam si peccatum originis est substantia, mirabilis glossa inde super hunc textum surget, scilicet Christum, qui nouit substantiam nostram, aut animam nostram, pro nobis fecit substantiam & animam reliquorum hominum seu substantiam.

CLXXVIII.

Christus, vix S. Petrus docet, Peccatum nostra ipsam in corpore suo super lignum pertulit. I. Pet. 2. Si peccatum originis est substantia, sequitur glossa Manichæorum, Christum substantiam & animam nostram in cruce gestasse. Id vero corruptela dicti Petri est, nullo modo in Ecclesia ferenda.

CLXXIX.

Hinc porrò sequitur, cum peccatum originis non sit substantia, ut sacre literæ preclarè docent, nec substantias nostras, id est, corpora nostra & animas nostras, Christus in cruce gestarit: Nec peccata nostra in cruce à Christo portata aut expiata esse. Ratio est, quia *Manichei peccatum originis afferunt, esse substantiam, & esse synonimum peccatum & substantiam, seu esse terminos conuertibiles.* Horret animus talia faltem cogitare, quæ extam furioso dogmate consequuntur.

CLXXX.

Tota scriptura docet, *iustitiam nostram coram Deo esse remissionem peccatorum, imputationem iustitia parte per Christum, abiectionem peccatorum nostrorum.*

DE SECTA MANICHÆORVM.

55

nostrorum in profundum maris, non imputare peccata, calcare sub pedes peccata nostra. Psal. 32. Rom. 4. Mich. 7.

CLXXXI.

Iam si peccatum originis est substantia, hæc omnia sunt vitianda. *quod videlicet iustitia nostra coram Deo, sit remissio substantia, conculatio substantia, sit abiectione substantiae seu animæ in profundum maris.* Vbi igitur nostræ substantiæ manebunt? Quomodo iustificabuntur? Quomodo viuent? Quomodo glorificabuntur nostræ substantiæ, ac nostræ animæ, si animæ & substantiæ nostræ sunt ex oculis Dei in æternum remouendæ, sicuti peccatum originis omnino à credentibus remouendum est? Si Deus animas & substantias nostras vult pedibus suis conterere? Si earum nunquam volet recordari? Nam hæc de peccatorum abolitione in sacris literis & dicuntur, & ab omnibus pijs creduntur. Sed bene habet res, de peccatis duntaxat hæc dicuntur, in p̄s verò substantijs & animabus nostris per Christum, liberatio à peccatis promittitur. Itaq; Manichæum dogma, labefactans nobis articulum fidei, in quo nostra redemptio, salus & vita consistit, zelo iusto repudiamus ac damnamus.

CLXXXII.

Quid enim horribilius est, quam hanc gloriam, quam nobis adfert Manichæum dogma: Scilicet, *peccatum originis esse substantiam, admittere in dictis huius articuli, vt, remittuntur tibi peccata,* Matth. 9. *Id est, remittitur tibi substantia seu anima;* Liberati a peccato, Rom. 6. *id est, libe-*

rati à substantia seu anima, facti estis servi iustitiae, &c.
CLXXXIII.

Insuper, si peccatum originis est substantia, substantiae autem atque animae nostrae sunt redemptae sanguine Christi, sequitur, ipsum peccatum originis esse redemptum, esse saluatum, esse receptum in gratiam à Deo, ipsi peccato originis imputari iustitiam Christi. Et sic ipsum peccatum originis iustum censeri à Patre cœlesti, & habitationes eius in cœlis per Christum esse paratas.

CLXXXIV.

Euerit hoc Manichæorum dogma, salutarem doctrinam de regeneratione; Nam si peccatum originis est ipsam etiam substantia hominis: Ergo peccatum originis regeneratur, fœdus initum cum Deo, fit noua creatura, accipit Spiritum sanctum, contra fidei articulum, quod nostra substantia abluatur à peccatis, absoluatur à peccato, recōciliatur Deo, impunetur ei iustitia, donetur ei Spiritus S. & vita noua in ea inchoetur.

CLXXXV.

Euerit doctrinam de coniugio; Nam si peccatum originis est substantia, sequitur peccatum originis utrum sexu pruditum, id est, esse peccatum masculini generis, & peccatum feminini generis, & peccatum peccato fœdere coniugalis sociari. Peccatum originis benefici publice, & peccatum originis liberos procreare.

CLXXXVI.

Quid potest dici atrocius, quam quod quidam insanus Manichæus hæc verba effutivit, sese vi-

num cacodemones in se gestare, seu se esse viuum Diabolum, quia scilicet peccatum sit substantia?

CLXXXVII.

Alij hæc protulerunt, grauidas matres, nihil aliud, quam peccatum originis in utero, immo virum Diabolum gestare. Hæ blasphemæ voces pœnis Christianorum magistratus cohærendæ sunt. Siccine deprauatur egregium Dei opus, quod ad naturam humanam attinet, quod David inquit, esse donum ac singularem Dei benedictionem? Verum quidem est, naturam humanam totam esse corruptam peccato, sed nihil aliud, quam peccatum originis esse, iphius Diaboli est blasphemia. Siccine etiam matribus suis gratias reddunt, & in hoc periculo, ac difficultate bore grauidas matronas solantur? O diros cuculos, indignos, qui corpora & animas à suis matribus acceperunt, nisi egerint pœnitentiam.

CLXXXVIII.

Euerit furiosum hoc dogma, resurrectionem ex mortuis; Nam si peccatum originis est substantia, sequitur, substantias nostras nunquam in omnem aeternitatem resurrecturas. Quid igitur procedit resurrectione Christi? Quid nostra regeneration? Nostra fides? Ergo fundamentum Sadduceismi & Epicureismi, in hoc Manichæorum dogmate constabilitur.

CLXXXIX.

Euerit igitur vitam æternam, admit letitiam cum Deo, & uno stratagemate, vniuersam Chri-

stī religionem delet. Nam peccatū originis nunquam regnum cōclorum ingredietur, nunquam fieri iustitia, nunquam ante Deum stabit, eumq̄s celebrabit, nunquam cōctui sanctorum Angelorum associabitur,

CXC.

Compendij & lucis gratia, ne immodecē creſcant h̄z positiones, animaduertant rudiores, omnes Catechismi nostri partes huic insano dogmati, quod peccatum sit substantia, aduersari & contradicere. CXCI.

Nam Decalogus prohibet peccata, non prohibet corpus & animam per se, accusat peccata hominū, non accusat substantias per se, vt substantias aut animas per se, quatenus animæ sunt, sed quia substantiae & animæ hominum peccata sunt dilutæ ac depravatae,

CXCII.

Habere Deos alienos, seu Idolatria, non est substantia, Abusus nominis divini, non est substantia, Prophanatio sabbathi, non est substantia. Inobedientia erga parentes, non est substantia. Homicidium, adulterium, furta, falsa testimonia, prava concupiscentia, non sunt substantiae.

CXCIII.

Cur ergo substantias accusat & damnat lex? Respondeo, modò id est expositum, nimirum propter peccatum inhabitans, vt nominat Paulus, & propter fructus malos, Rom. 7. Gal. 5.

CXCIV.

Symbolū inquit, Deum esse creatorem, hoc est, creā-

creasse nos, dedisse nobis corpus & animam, vt Lutherus declarat. Ergo non dicit peccatum esse substantiam. Docet Christum passum esse, id quod Petrus exponit, peccata nostra gestasse in corpore suo super lignum, Lutherus sic enarrat, me perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte, à potestate Satana liberavit. Non inquit Christum ipsum peccatum originis redemisse aut iustificasse. Imò hominem & peccata discernit eo ipso, quod profitetur, hominem à peccatis liberatum. Ergo non sunt propriè idem homo & peccatum, licet peccatum sit in homine, & propter peccatum homo sit reus. Credimus remissionem peccatorum, non credimus remissionem substantiæ aut animæ. Credimus resurrectionem carnis, hoc est substantiæ nostræ, non credimus resurrectionem peccati originis. Credimus vitam eternam. Substantiæ nostræ, non peccati originis. Ergo ipsa fidei promissio Manichæorum dogmati aduersa fronte contradicit.

CXCV.

Oratio dominica hoc dogma oppugnat. Nam oramus remissionem peccatorum, & non petimus remissionem substantiæ. Ergo peccatum est aliud quippiam, quam est substantia aut anima nostra, imò tandem preciamur liberationem ab omnimalo. Nec petimus liberationem à substantia & anima, sed vt substantia nostra ab omnibus malis, inter quæ mala etiam, & quidem non postremum est, peccatum originis, li-

60 D. CVNRAD. SCHLVSSELB.
beretur, & suspiramus glorificationem illam
Substantiæ nostræ per Christum promissam.

C X C V I .

*Absolutio, instituta per filium Dei, Matth. 16.
18. Ioh. 20. est latissima annuntiatio remissionis
peccatorum per Christum, nec est remissio Sub-
stantiæ aut animæ per Christum.*

C X C V I I .

*In baptismo abluitur nostra Substantia potentia
& virtute verbi divini, a peccatis, ibique fædere
peculiarium cum Deo obligatur. Non peccatum originis renunciat Diabolo, & omnibus operibus eius, sed homo, seu substantia hominis. Non peccatum originis ibi donatur iusticia, recipitur in gratiam, donatur Spiritu sancto & nouitate, sed substantia hominis. Non pro peccato originis ibi preces fiunt, vt accipiatur à Deo, vt fiat membrum Christi, membrum Ecclesiæ, hæres vitæ æternæ, sed substantia hominis. Ergo Baptismus omnium nostrum, prohibet viuum testimonium contra delirum ac blasphemum dogma Manichæorum, Quod peccatum originis sit Substantia.*

C X C V I I I .

*In Testamento Domini comedimus reale ve-
rumq; & presens corpus & presentem & verum san-
guinem Christi, non peccato originis, sed ore no-
stro corporeo & fide. Nec in confirmatione pecca-
ti originis, sed anima & cordis nostri, contra pec-
catum originis. Nec ibi Christum accipimus
in*

DE SECTA MANICHÆORVM. 61
in remissionem nostræ substantiæ & animæ, sed
peccatorum, vt substantia propter peccata nō da-
mnetur in iudicio Dei.

C X C I X .

Ergò verba Testamenti Dominici perspicue
refutant dogma Manichæorū, & euincunt, pec-
catum originis non esse substantiā nostrā, quę
quidem debet comedere & bibere corpus &
sanguinem Domini.

C C .

Alias, si peccatum originis est substantia: Et
nostra substantia summis hisce reb. debet frui: Se-
quitur; Peccatum originis debere uscī corpore Christi,
& bibere sanguinem eius: quibus quidem bla-
phemiis, quid potest dici atrocius?

C C I .

Hæc repetere ex scriptis Praceptorū volui,
vt omnes pij, seriō timentes Deum, & quibus
curæ cordique est incorrupta doctrina cœlitus
patefacta, & his postremis mundi temporibus,
nobis ostensa, & Catechismus noster, quo post
factas literas non habemus ullum thesaurū præ-
stantiorem, discant Manichæorū dogma, quod
totam religionem veram, totam Bibliorum do-
ctrinam, totum Catechismum Lutheri euerterit
ac delet, ac nouam atque peculiarem formam ac
Metamorphosin in omnibus molitus introdu-
cere, cum summo probro Dei, & plurimorum
hominum æterna pernicie, recte cognoscere,
dijudicare abhorre ac detestari.

DE PROPOSITIONE.

Peccatum originis est accidens vitium.

CCII.

Supereft, vt pauca de propositione dicamus, quæ opposita est Manichæo dogmati, nempe, *quod peccatum originis sit accidens seu accidens vitium, quod idem est.*

CCIII.

Nam aliqui ex infirmitate & ruditate affe&tata etiam abhorrenrab hac voce, & futiliter garriunt de iis quæ ignorant aut non intelligunt: Aliqui verò exhibant leuissimis cauillis contra proprias conscientias, hanc vocem, quia Manichæo dogmati patrocinantur.

CCIV.

Accidens autem hic declaramus, pro eo, quod accessit ad hominis substantiam, & quod iterum aliquando, non per hominis, sed per ipsius omnipotentis Dei vires, remouebitur à substantia hominis, ac ut sic dicam, discedet.

CCV.

Ac rectè in Dialecticis definiri sentio, *Accidens est, quod non est Substantia eius in quo est, neque est pars eius, & est in alio mutabiliter.* Hanc definitionem verbō Dei statuo non esse contrariam, & rectè accommodari posse, existimo, sed petitis rebus ex verbo Dei.

CCVI.

Alteram verò definitionem *Accidens est, quod adesse vel abesse potest, citra corruptionem subiecti,*

DE SECTA MANICHÆORVM. 63
ie&cti, ideo ab eruditis iuste repudiari existimo, quia non est vniuersalis. Nam plurima sunt Accidentia, quæ citra subiecti corruptionem non adsunt, vt sunt morbi ingentes, lepra, pestis, hydrops, paralysis, & similes morbi: aliquie causis, & ipsa denique mors. Vel saltem hæc definitio, ad aliqua tantummodo accidentia est restringenda, quæ res facit, vt regulam vniuersale de accidentibus præberere nequeat, id quod manifestum est.

CCVII.

Non negamus autem nostros Theologos hac voce accidentis, antea rarissimè vlos esse, in certamine de peccato originali; quia nulla eos necessitas cogebat: At postquam Manichæum delirium, *peccatum originis est substantia, iterum cœpit resuscitari, tum necessitas eos extrema coegerit, vt vocabulo Substantia, opponent vocem Accidentis.*

CCVIII.

Et manifestus est quorūdam Manichæorum furor, qui propositione illa, *quod peccatum originis est substantia, præterita atque omissa, quasi nunquam ea mota fuisset, mordicus apprehendunt alteram propositionem, priori obiectam, quod peccatum sit accidens vitium;* & vocem accidentis lacerare variis modis tentant, veluti castelli panniculos cum fremitu lacerare solent.

CCIX.

Nec tamen tam de vocabulo litigamus, quād de rebus, quas necesse est impiæ & blasphemæ

doctrinæ Manichæorum opponi, nisi velimus
admittere, vt vniuersa Biblia, totus Catechismus
noster, & tota religio nostra radicibus euellantur
ac destruantur.

CCX.

Ncq; etiam temerè hanc propositionem con-
finxerunt, aut primi in orbe terrarum hac voce
vñi sunt, aut eiusmodi propositiōne Manichæo-
rum dogmati opposuerunt nostri Præceptores,
sed vocem, locutionem, sententiam Ecclesiæ
Christi antiquæ protulerunt: quomodo Augu-
stinus, qui præ cæteris omnibus in errore Ma-
nichæorum refutando (cui ille antea per integrū
nouennium addictus fuit) fidelem & præclaram
opem nauauit, & cæteri, & locuti sunt, & scri-
pserunt, nempe peccatum originis non esse Sub-
stantiam, sed accidens. Quale autem id sit acci-
dens, non ex cæca ratione, non ex Philosophorū
literis, sed ex verbo Dei est proferendum & de-
monstrandum.

CCXI.

Id verò cum manifestis & luculentis Testi-
moniis probetur, & imperitis aut pigroribus
ac inerioribus ipsa loca, ipsaque verba publicè
annotentur ac commonstrentur, cur non moro-
si ac peruersi homines, antiquis Ecclesiæ Do-
ctoribus prælium indicunt, atque ostendunt eos
non rectè locutos esse, neque sua ætate Mani-
chæos dextrè refutasse?

Nobis

CCXII.

Nobis autem in præsentia satis sit; Ante nos
in eodem certamine contra Manichæos, (eadem
hæc verba proferentes, quod peccatum sit Sub-
stantia) Ecclesiam Christi vñam esse hac propo-
sitione, peccatum Originis non est Substantia,
sed Accidens. Testimonia iam impressa extant.
Si quis igitur in clara Meridie cæciat, ac nolit
inspicere loca, sibi tam perspicuè monstrata, an
non flagitosè malus & petulans existimandus
est?

CCXIII.

Verùm probationes etiam in medium adfe-
rendæ sunt, vt videant piæ mentes, rectè in haec
controversia antiquos Ecclesiæ Christi Docto-
res, & nos hoc tempore, contra Manichæum er-
rorem hac propositione vti. In ea enim parte,
cardo negotij consistit.

CCXIV.

Et quidem pio & moderato, & non prorsus
moroſo homini satis foret, si audiret, euidenter
demonstratum esse, vt quidem haec tenus DE
prælucente est demonstratum, quod peccatum
Originis Non sit Substantia. Nam hinc animad-
uerteret ex aduerso, peccatum originis rectè di-
ci Accidens vitium. Verùm cum fascinum ex
falsis dogmatibus, sit graue, & in multis incuria-
bile malum, nisi Deus mentis oculos benignè
irradiet: Ideo non nihil hæc euoluenda sunt.

CCXV.

Constat Normam iudicij in controuersiis doctrinarum in Ecclesia Dei, esse *verbum Dei*, ut vel liquidissimè demōstretur, dogma expressis verbis Scripturæ sacræ constare, vel euncaatur, æquipollentes locutiones in verbo Dei inueniri, vel bona Ratiocinatione ex illustribus sacrarum literarum dictis, extrui, hoc est res ipsas verbo Dei comprehensas esse. Hæc est illa fidei Analogia, de qua *Roman. 12. præcipitur.*

CCXVI.

Iam subiectum, hoc est *peccatum Originis*, nō sic appellari in sacra Scriptura, sed vocem peccati sic interdum usurpari certum est, ac res ipsæ ibi traduntur. Non igitur hæc verba, quibus Ecclesia, docendi gratia, pro sua libertate vtitur, repudianda sunt.

CCXVII.

Prædicatum verd, est *Accidens*, itidem non reperitur, talibus syllabis in Bibliis prædicato esse annexum, sed Ecclesia sic locuta est ante mille annos, docendi gratia, contra Manichæum dogma, videlicet *peccatum Originis* est *Substantia*.

CCXVIII.

Iam *Æquipollentes* locutiones ac prædicationes de peccato Originis in verbo Dei extare non est obscurum, modò Spiritus sanctus apertiat oculos. Nam S. Paulus inquit, τὸ κανόνι τοῦ παρεγκειται, *Malum mihi adiacet*, Lutherus,

DE SECTA MANICHÆORVM. 67

Es hanget mir an. Malum ibi vocat ipsum peccatum Originis, sicut paulò superius inquit: *Non bonum habitat in me*; quæ quidem oratio luculenter docet, Paulum hic, *Malum*, item *non bonum*, pro Originis peccato in hac quidem sententia usurpare. Nam etiam pro actualibus peccatis hanc vocem ponit, id quod ex adiunctis vocibus *æstimandum* est. Ac bis quidem eo in loco ponit παρεγκειται, vt, *ipsum velle mibi adiacet*, vnde fit manifestum, eum his verbis, *ipsum velle*, non Substantiam exprimere, sed quiddam in Substantia hominis. Nam ipsum velle, non est Substantia, licet anima aut cor sit Substantia, quorum motus & facultates sunt velle.

CCXIX.

Mibi igitur *adiacet malum*, inquit: Attende, loquitur de se, tanquam subiecto, & tanquam Substantia sua, *Mibi*, ait. Deinde addit, *hunc sic Substantia adiacere malum*. Hoc igitur est vi- tium in subiecto: Iam perpède, quam portentosam his verbis Pauli, sententiam adferat Manichæum dogma, si applies, hoc modo, *Substantia adiacet mibi*, seu, *Substantia adiacet Substantie*.

CCXX.

Quicquid igitur *AD IACET Substantie Pauli*, merito dicitur *Accidens Substantia Pauli*. Iam Paulus inquit, *Malum sibi*, nota, *sibi*, *adiacere*. Ergò idem dicit, quod aliis verbis ab Ecclesia effertur, *peccatum Originis* est *Accidens*

68 D. CVNRAD. SCHLVSSELE.
in Substantia Pauli, & non est ipsa Pauli Substantia.

CCXXI.

Imò ipsemet inquit, eo ipso loco, *sese liberatum iri ab hoc malo per IESVM CHRISTVM*. Itaque restatur, mutabiliter in se esse peccatum originis, tanquam accidens, quia Christum dicit amoturum esse hoc malum a sese.

CCXXII.

Item S. Paulus inquit, *peccatum INTRASSIT IN OMNES HOMINES*. Roman. 5. Etsi autem iacti in procreatione carnali, non extrinsecus accedit lues ista originalis, quia inest semini ipsi, ex quo homo nascitur, tamen respectu primi hominis, & respectu propagationis, rectè loquitur Paulus, *peccatum originis INTRAVIT, & INTRAUIT in omnes homines*.

CCXXIII.

Iam cum Apostolus dicat, *peccatum intrasse in omnes homines*, Annon substantias humanas, constantes corpore & anima, exprimit? Deinde *in substantias humanas*, inquit; *INTRARE*. Quidnam? Substantiam? Non sic loquitur, non sic docet Paulus, sed *PECCATUM* inquit, *intrare homines*. Ergo peccatum intrans in homines, in Substantias, non est Substantia. Atque hic iterum obserua, quām monstrōsum glossam Manichæorum dogma, S. Pauli verbis additum effet,

DE SECTA MANICHÆORVM. 69
effet, si diceretur, *Substantia peccatum intravit in omnes substantias*.

CCXXIV.

Inde igitur patet, consonare phrasim Pauli, etum ea, qua Augustinus & Lutherus, & omnes, rectè sentientes vni sunt, *peccatum originis accessisse ad humanam naturam*. Et idem esse, peccatum originis est accidens vitii, & non est ipsa hominis substantia, licet totam Substantiam vitiarit.

CCXXV.

Quod etiam omnino extergendum sit peccatum ex substantia credentium in Christum, Esiae 66. & Apocal. 21. & in aliis locis clarè traditur.

CCXXVI.

Quidquid igitur intrat & extergetur è Substantia humana, id respectu eius substantiæ, sine errore dici potest, accedere & discedere, hoc est esse accidens. Sed de peccato sacra Testimonia hoc profitentur. Quid igitur vel rudes temere querulantur, vel malitiosi improbè criminantur?

CCXXVII.

Quicquid inhabitat hominem, hoc est totam hominis substantiam, corpus & anima, omniaque membra, ac pellendum est ex homine, hic quidem inchoatiuè, istic verò perfectiuè, id non potest dici substantia, sed est accidens. Nam quia remouendum est ex ea substantia, ideo certum est accidens esse.

CCXXVIII.

Sed S. Paulus inquit, *peccatum in se habitare*. In *se* inquit, id est, in *sua Substantia tota*, in *corpore & anima*. Non ait hoc loco, *Substantiam suam totam, habitare in suatota Substantia*. Nec dicit, *corpus & animam, habitare in suo corpore & anima*, quod quidem portetum, ex Manichaeorum monstrioso dogmate, enascitur.

CCXXIX.

Ergo quod Paulus inquit, *peccatum in se habitat*, & Augustinus dixit, *peccatum est accidentis vitium in homine*, est idem.

CCXXX.

Corruptio hominis, id est, *substantia humanae, est accidentis*. Nam hæc corruptio substantiam inuidit ac depravat, & omnis corruptio sit in subiecto. Iam sacrae literæ tradunt, *hominis, hoc est, Substantia humana est corrupta peccato*. Psalm. 13. 51.

Ergo, peccatum dici meretur *Accidens*, videlicet tale, quale sacrae literæ describunt.

CCXXXI.

Eiusmodi Argumenta plurima ex verbo Dei, bona ac firma consequentia texere possemus, verum eū ex doctrina, supra ex verbo Dei, proposita, facile perspici & colligi queant, breuitatis gratia iam hoc labore supersedendum censeo.

Et

CCXXXII.

Et iudico Argumentum in libello meo, de peccato expositum, immotum & perspicuum esse.

CCXXXIII.

Cui conuenit definitum, ei conuenit definitio.

CCXXXIV.

Sed: *Non esse Substantiam ipsam, in qua haret*, Et, *esse in alio mutabiliter, est definitio Acciden-* *tis*.

CCXXXV.

Et hac tribuuntur peccato Originis, nempe quod non fit Substantia hominis, & quod ex Substantia hominis remouebitur iterum omnino virtute & omnipotencia diuina, sicut & illa expurgatio in hac vita in credentibus per Spiritum sanctum inchoatur. Ergo, de peccato Originis verè & rectè dicitur, quod sit *accidens*.

CCXXXVI.

Si Ecclesiæ sermone utilicerit, & præfertim eo, quo in certaminibus vñi sunt, hæc etiam ratione euicta res est. Nam contra Manichæos, & contra hæc ipsa verba: *Quod peccatum originis sit substantia*, Augustinus & alij claris verbis pronunciârunt, *peccatum Originis non esse Substantiam, sed accidens virium, uti dictum est*. Et hæc pars in secunda disputatione luculenter & copiosè, ad oculum demonstrabitur. Ei igitur hæc testimonia sunt referuanda.

CCXXXVII.

Sic & nostra ætatis Doctores, vel hoc ipso

vocabulo Accidentis vñsi sunt, vel Aequipollen-tibus. Ac libet in præsentia tantum vnicum Testimonium adscribere, & quidem propinquum, vt constet, in aula Illusterrissimi Principis publicè quoq; sic esse doctum. Nam M. Iohannes Stollius in Concion. Funeb. Electoris Iohan. Frider. & coniugis laudatissimæ foeminae, C. 3. a. scribit. Sünde ist der vñflat/ den der Sathan in vñnd att die schöne Creatur geflickt hat/ Den wil der treue Gott aufsegeln/ vnd mit dem Tode tilgen: Es soll Accidens separabile seyn an den Kindern Gottes/ wie eine Mutter vom leiblichen Vnflat/ das Kind im Bad reiniget vnd wäschet/ &c. Non igitur est noua aut infrequens locutio, etiam in hac Ecclesia, peccatum originis est accidens.

CC XXXVIII.

Lutherus non dixit, peccatum originis esse substantiam, & quomodo suas phrases peculiares, ipsem perspicere in continentia euoluerit ac declararit, id in tercia disputatione, iuuante Deo demonstrabitur, ad quam quidem hanc partem reiicio.

CC XXXIX.

Postremo ipse Choragus ac Dux recentium Manichæorum vñtrò ac palam in libris suis proficeret: Inter hac duo, nimirum Substantiam & Accidens, in præsenti disputatione nihil esse medium. & oportere peccatum originis aut substantiam aut accidens dici, ac delirant prorsus, qui dicunt ab utraque voce in hac disputatione discedendum

esse,

DE SECTA MANICHÆORVM. 73
effe, delirant & illi, qui medium inter veritatem & mendacium astute quarunt.

CC XL.

Est autem ex verbo Dei planè ac dilucidè demonstratum, peccatum originis non esse substantiam. Obtinet igitur palmam inuicta veritas recte in hac controversia, vbi Manichæorum dogmati occurrentum est, dici, peccatum originis esse accidens, videlicet tale, quale in sacris literis describitur, vnde sunt istæ res promendæ.

CC XLI.

Temeritatem recentium Manichæorum in peruertere & detorquendis phrasibus ac dictis Scripturæ sanctæ, omnes pij proculdubio facile animaduertent & detestabuntur, vt sunt peruersum cor, id est, peccatum originis est ipsum cor: vetus Adam, id est, peccatum est homo, vel substantia. Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum, id est, peccatum est anima ipsa. Peccatum est anima, id est, peccatum est substantia, &c. quæ quidem res peculiarem tractatum requirunt.

CC XLII.

Ex hisce igitur, Dei beneficio, elucet, quām sit impia, quām blasphemia, quām perniciosa doctrina Manichæorum: Quod peccatum originis sit substantia; Quia videlicet tota Biblia labefactat & deprauat, & torum Catechismum Lutheri eneruat ac destruit, & monstrantia, horrenda, innumera gignit, qualia vix vñ quā ante in ecclesia Dei vel vilâ vel audita sunt. Crescit enim in hoc fine mundi, furor Diaboli, & petulantia præstigiatorum.

CCXLIII.

Quapropter hoc dogma, peccatum scilicet originis est substantia, iure ac merito, prælucente aciubeni verbo Dei, ex nostris pectoribus, ex nostris Ecclesiis, ex nostris Scholis, eliminamus, exterminamus, profligamus, vt scilicet puritas doctrinæ sacræ, & integritas Catechismi sancti nobis constet. Relegamus autem illud in eternas Manichaorum tenebras & lacunas.

Postremò oramus Iesum Christum, Dominum nostrum, Doctorem Ecclesiæ suæ perpetuum, vt per Spiritum suum sanctum, omnes à veritatis via aberrantes, in rectam semitam benignè iterum reducat, ne sibi aliisque exitum accersant, & omnes pertinaces, qui neque videre, neque audire volunt, sed perpetuis turbationibus Ecclesiæ Christi gaudent, potenter coheret ac reprimat, Confessores denique incorruptæ doctrinæ, in tantis afflictionibus, molestiis & periculis, Clementer tucatur atque confirmet,
Amen, Amen.

Gloria sit Deo, Creatori omnipotenti,
& eius Veritati.

EXPLI-

EXPLICATIO VOCABULORVM, QVIBVS VTI-
mur in hac controuersia.DE VOCABULO SVB-
stantia.

VOCAVLVM Substantia est τοιούτη. Igitur varietas significationum diligenter notanda est, ne ea ambiguitatem patiat in hac controuersia. Ego hic præcipuas vocis significations recensabo, præsertim, quarum usus est necessarius in præfenti materia.

1. *τοια*, *Substantia* seu *Essentia*, in scholis Philosophorum opponitur *Accidenti* & rei imaginariae, & significat rem, quæ scilicet potest suapte natura consistere, ideoque à Græcis ἀνυπόστατον appellatur, vel εὐνόητον, id est: *per se subsistens*.

2. Sumitur pro materia seu arguento, circa quæ versatur cardo totius rei: vt Quintilianus in proœmio lib. i. *Quæ de ipsa Rhetorica substantia queruntur, tractabo*. Plinius in Epistolis: *Substantia omnis orationis fuit, cohortatus eius ad pacem*. Luther. super Psal. 51. *Homo peccator est substantia in Theologia*, id est, vt ibidem Lutherus se declarat: *Theologia proprium subiectum est homo, peccati reus & perditus*.

3. Significat vim, δύναμιν, naturam vel proprietatem alicuius rei, vt; *Substantia Magnetis est, attrahere ferrum*. Sic Medici naturam & proprietates morborum appellant, *substantiam*

sex effientiam morbi. Sic Lutherus ait, contra Latomum: *Substantia peccati est offendio Dei, id est, proprietas nostra.*

In præsenti disputatione, teste Illyrico, etiam sumitur substantia, pro re, que opponitur Acciden-
ti, nec esse suum habet à subiecto, cui inest. Subie-
ctum est autem vel sine accidentibus; vt, *Deus:*
vel accidentia sustinens; vt, *homo.*

De essentia, idem significat, quod per se acci-
dens, *καὶ ἀὐτὸς αὐτοῖς*, significans propriam
rei affectionem, que idem *τὰ δύο* etiam dicitur, &
ἀναριθμός denotat, vt: *hominem natum esse ad numeran-*
dum, est de ipsius hominis substantia. Nam i-
gnorans numeros, nihilominus manet substan-
tia, id est, homo, constans corpore & anima. Ita
Lutherus in 3. cap. Genes. dicit: *Imaginem Dei*
esse de substantia vel essentia hominis. Item: *Pec-
catum originis esse de essentia hominis*, id est: Ho-
mo conditus fuit à Deo, vt perpetuè esset ima-
go Dei: verū Diabolus eum imagine Dei spo-
liauit, &c.

DE DUPPLICI FORMA, ACCI- dentali & essentiali.

Forma dicitur ipsa rei essentia.

Materia dicitur, ex qua res fit.

Forma essentialis dicitur, ipsa rei essentia, si-
ne qua res non est, nec esse potest, & cuius loco
non potest succedere aliquid, vt eadem maneat
substantia, quæ prius fuit: vt, *exempli gratia*; Es-
sentialis forma arboris ea est, vt sine ea nequeat
esse

esse arbor & nequeat, hac forma sublata, alia
substitui, qua nihilominus eadem sit arbor. Si
enim lapidis forma succederet, iam non arbor,
sed lapis foret illa substantia. Si igitur pecca-
tum originis est essentialis forma hominis, ne-
cessitatem est, prius individuum hominis corpus &
animam, omnino interisse, noua forma homini-
nis substituta. Verbum Dei verò testatur, *pri-
mos parentes rei nuisse idem corpus, & eandem ani-
mam*: Ergo, peccatum originis non est forma
essentialis hominis.

Accidentalis forma dicitur, sine qua res, in
essentialibus suis partibus, integra esse, & cui a-
lia succedere potest, vt nihilominus eadem sit
illa res, quæ fuerat: vt; Aqua eadem manet, si-
ue calida, siue frigida sit. Ita peccatum originis
commode potest dici forma accidentalis homini-
nis. Nam peccato alia forma accidentalis, in v-
no & eodem homine succedit: Peccato enim
succedit iustitia, qua in altera vita fulgebunt pīj,
& quidem in eadem anima, eodemque corpo-
re: Est igitur peccatum originis forma acciden-
talishominis.

DE VOCABULO

Accidentis.

Accidens est, quicquid per se non subsistit,
sed inest substantiæ; non, vt pars in toto, sed, vt
adiacent quiddam in subiecto, cui, si aliud suc-
cedat, idem integrum maneat subiectum, seu
individuum, cui accidens illud in sit.

Accidens & adiacens in hac disputatione sunt Synonyma, id quod ipse Illyricus fateatur, in præfatione libri Demonstrationum euidentissimarum, fol. 17. Item, in ipso libro, fol. 5.

DE VOCABULO Peccati.

I. In specie hæc vox sumitur pro peccato originali, vt Rom. 5. Per unum hominem peccatum introiit in mundum. Psalm. 51. *Ecce, in iniquitatibus conceptus sum*, & in peccatis concepit me mater mea.

II. Sumitur pro actualibus peccatis. 1. Ioh. 2. *Hoc scribo vobis, ne peccatis.* Rom. 14. *Quicquid non est ex fide, peccatum est.*

III. Peccatum significat quiddam reum coram Deo, quod meretur iram Dei, & pœnas; vt 2. Corinth. 5. *Eum, qui non nouit peccatum, fecit pro nobis peccatum.*

DE VOCABULO Carnis.

I. Caro interdum, per Synecdochen, significat rem corruptam, impuram, pollutam, & damnationi eterna obnoxiam, vt Ioh. 3. *Quicquid est ex carnenum, caro est*, hoc est: res rea & damnata. 1. Corinth. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*; scilicet, quatenus non purgantur & emundantur à peccato, per Christum.

2. Significat non ipsum subiectum cum peccato inhærente, sed vitiosas actiones.

DE VOCABULO Cordis.

Cor interdum in sacris literis ita accipitur, vt simul corruptionem, quæ ei, propter lapsum primorum parentum, & peccatum originis, inest, significet, vt Matth. 15. *Ex corde egreduntur mala cogitationes, cædes, adulteria, &c.* Matth. 12. *Bonus homo è bono thesauro cordis effert bona; Malus homo ex malo thesauro cordis effert mala.*

DE VOCABULO VETERIS & noui hominis.

Vetus homo ab Apostolo Paulo nominatur, quatenus homo non est regeneratus.

Nous homo vocatur, quatenus per Spiritum sanctum & baptismum est regeneratus. Et hæc distinctio, qua diuiditur homo in veterem & nouum, non constituit in uno homine, duos diuersissimos homines, vel, duas substantiales formas, vt Illyricus temere assert, in confessione latina fol. 188. sed respicit proprietates naturæ, vt præclarè & diserte Lutherus indicat, Tomo primo Germanico, Ienensi, fol. 479. Item, primo lat. Tom. Ien. super quintum cap. ad Galat. Vbi addit Lutherus: *Esse unum & eundem hominem, qui dicitur, vetus & nous.* Vetus seu caro dicitur, quatenus legem Dei odit: *Nous dicitur, quatenus sapit, quæ sunt spiritus Dei.* Item Lutherus contra Latomum: *Est eadem caro, ante & post gratiam.* Præterea prædicara veteris & noui hominis, non possunt dici de substantia, quia nos non possumus

mus induere nouam substantiam, aut exuere veterem; cùm tamen Paulus iubeat, *veterem exuere, & nouum hominem induere*. Respicit igitur hæc diuisio qualitates substantiæ, non ipsis substantium.

DE VOCABULO

Natura.

Natura primò significat idem, quod *proprietas, vis, & potentia*, iuxta Lutheris sententiam, vt: *Natura hominis est, loqui, videre, ridere, numerare.*

II. Significat idem, quod *substantia*, seu *essentia, constans corpore. & anima*: vt, Lutherus aliquoties dicit: Naturam esse corruptam, depravatam, pollutam, &c. Hæc de vocabulis dixisse sufficiat.

Quæritur autem iam vterius; *An peccatum originis sit vel Substantia, vel Accidens?* Respondeo: Substantia non potest esse peccatum originis. Non enim definitio Substantiæ conuenit originis peccato. Non enim per se subsistit peccatum, vt subiectum, nec est res corporea, vel incorporea, per se subsistens.

An peccatum originis sit natura vel forma hominis?

Hæc primum sciendum est, à Philosophis *corpus nominari materiam; Animam vero formam ipsam dici*. Corpus verò ipsum non potest dici pecca-

peccatum originis, cùm Paulus dicat: *Peccatum originis habitare in suo corpore*. Nec potest esse membrum aut pars corporis, cùm potius in membris tyrannidem suam exerceat. Nec forma dici potest, hoc est; *Animam ipsam*. Hic oportet definiri animam ipsam. Animæ verò definitio non competit peccato originis. *Nemo enim absque blasphemia, audebit peccatum originis dicere, Spiritum viventem, intelligentem, corpori à Deo inspiratum, immortalem, &c. quæ tamen omnia rectè possunt dici de anima ipsa*. Ergo, peccatum originis non est *animam ipsam*. Nec est peccatum originis pars *anime*, quia, *animam non posse dividiri*, etiam ipsum metu Philosophi testantur. Potentiæ verò animæ non partes, sed proprietates, seu facultates propriè definiuntur. Sic enim potentia animæ describitur: *Potentia anima est, neque essentia, neque pars anima, sed proprietas anima, qua proprietate anima per diversa organa diversas in corpore actiones efficit*.

Forma essentialis hominis, propriè loquendo, est viuens & immortalis spiritualitas anime, quam sanè homo post lapsum retinuit.

Cùm igitur peccatum non sit *Substantia*, sequitur, esse & dici debere, ac posse etiam dici *Accidens*: (nullum enim tertium esse, inter *Substantiam & Accidens*, ipse Flacius aliquoties testatur.) Dicitur igitur Peccatum originis *Accidens*, quia Accidentis definitio peccato optimè conuenire videtur. *Non enim peccatum,*

*per se subsistit, sed est in homine, & Eſſe ſuum ha-
bet ab homine, vt Rom. 7. patet.*

*Obijciat aliquis: Etiam partem in toto eſſe: Si-
cuit dicitur, Actor. 20. Anima eius eſt in ipſo: &
tamen hinc non ſequitur, Animam aut partem
eſſe Accidens.*

Respondeo: Etiamſi anima, vel pars, ſit in
toto, tamen hęc, etiam extra ſuum ſubiectum,
ſuum Eſſe habent: id quod de peccato originis
affirmare, insaniæ eſt extremæ. Præterea oſten-
dat mihi aliquis, quæſo, qua pars in homine ſit
Peccatum originale.

DE VERBO TRANS- FORMARI.

Illyricus ex hac voce, transformari, ſicut Pau-
lus ea vtitur, 2. Corinth. 3. vbiait; in eandem ima-
ginem transformamur; colligere conatur, Imag-
inem Dei in homine fuſſe ipſam hominis ſubstantiam,
& cum transformatur homo in Dei imaginent,
tum nouam iſi indi ſubstantiam. Ac ſic obtinere
voluit portentosum ſuum errorem; Peccatum
originis eſſe ipſam hominis ſubstantiam. Verū
Illyricus maniſtam vim fecit vocabulo Spiritu-
lus sancti. Transformari enim, non significat no-
nam ſubstantiam homini indi; ſed significat, ſub-
stantiam hominis corruptam & depravatam reno-
vare & reſtitui. Manente ſubstantia, qualitates
mutantur, videlicet lux in mente, rectitudine in
voluntate, cordis puritas, virium integritas, &
libertas reſtituitur: que reſtitutio, noua eſt crea-
tio &

tio & transformatione. Spiritus sanctus enim creat
nouam lucem in mente, & accendit spiritualem
in corde vitam: vt, ſi oculo penitus excæcato
viſus reſtitueretur, vel homo mortuus reſuſci-
tar. Et opponimus Manichaëis, contra eſ-
ſentialē transformationē hominis, hoc ar-
gumentum insolubile: *Nihil eſt eſſentialiter
malum aut peccatum in mundo, ne Diabolus qui-
dem.* Ratio eſt: *quia omni eſſentia a Deo eſt con-
dita, in quem eſſentialis mali culpa ulioquin in or-
nis redundatura eſſet: Ergo, neq; talc etiam originale
malum eſſe potest quiddam eſſentialē.*

STATVS DISPVTA- TIONIS.

Quæritur, non de qualitate vel quantitate
corruptionis, ſeu peccati originis, qualis vel
quanta ſit corruptio; ſed quæritur, quidnam ſit
illa corruptio, ſeu, quid ſit peccatum origi-
nale? Hic Illyricus dicit: *Peccatum eſſe ſubstantiam
hominis, ſeu, Animam ipſam eſſe peccatum origi-
nisi:* atque ita confundit ſubiectum, cum malo
inhärente. Nos verò inter hęc duo facimus di-
ſcrimen, & hanç defendimus affirmatiuam con-
ſtanter ex verbo Dei: *Peccatum originis eſt in eſ-
ſentia hominis corrupti.* Homo, post lapſum,
non tantum in accidentibus mutatus & corru-
ptus eſt, ſed in ipſa ſubstantia ſeu eſſentia; tam
in anima, quam in corpore. Hoc non obſtan-
te, facimus diſcrimen, inter ſubstantiam homi-
nis, & Peccatum ipſum. Nam ſubstantia homi- .

nisi, in quantum illa à Deo, etiam in hac corrupta natura formatur & sustentatur, qualis ea quidem nunc est, & à corruptione & depravatione, qua in substantia illa haret, discernenda est: quia natura seu substantiae author est Deus: Peccati verò & depravationis author est Diabolus, non ipse Deus:

SACRÆ LITERÆ ABSTRACTIS
utuntur vocabulis, in descriptione de Peccato originali.

Génel. 6. dicitur *malitia, cogitatio, iniquitas.*

Sapient. 12. *Naturalis malitia, vulnus.*

Esaïæ 1. Item, Esa. 53. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.*

Matth. 9. *Morbus: Sani non egent medico, sed agroti.*

i. Ioh. 1. dicitur *iniquitas peccatum.*

Rom. 1. *Impietas & iniustitia hominum.*

Gal. 3. *Transgressio.*

x. Cor. 5. dicitur *fermentum: Expurgate venum fermentum.*

i. Ioh. 3. *Iniquitas, avocata, corruptio.*

Psal. 13. 52. *Caligo & tenebra in mente.*

Iohan. 1. *Lux, qua in tenebris lucet, & tenebra eam non apprehenderunt.*

Quando igitur cum scriptura propriè loqui volumus de peccato originis, oportet nos vt vocabulis abstractis: cùm autem de substantia hominis,

minis loqui volumus, oportet nos vt vocibus concretis, quævnà cum peccato ipsam substantiam depingunt: atque ita faciendum est discrimen, inter substantiam hominis, & vitium innatum, seu peccatum originis.

Sacra literæ testantur, Substantiam hominis esse subiectum seu continens. Peccatum vero originis esse rem inhærentem, qua venerit in hominem, & habitat in homine: vt, Rom. 7. Non ego operor ille, sed quod habitat in Me, PECCATVM. Ibid. Peccatum operatum est in Me omnem concupiscentiam.

Rom. 8. De peccato condemnavit peccatum in carne. Deponentes circumstans Nos, peccatum.

Rom. 7. Malum mihi adiacet.

Cùm igitur subiectum, & res inhærens diuerse sint res, etiam non ea confundamus, quæ Deus in verbo suo distinxit. Deus accusat & condemnat naturam hominis, nō propter suam substantiam, sed propter peccatum inhærens.

Esaïæ 59. Iniquitates vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Ezech. 3. Impius propter impietatem suam morietur. Rom. 8. Corpus mortuum est propter peccatum. Ose. 13. Conuertere Israël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiisti propter iniquitatem tuam. Daniel. 9. Propter peccata nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Ex his & similibus verbi diuini testimonij apparent, Denne-

tantum propter peccatum inherens, & alia actualitas peccata, accusare & damnare substantiam humanaum. Substantiam verò ipsam à se creatam non destruit. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, &c. Rom. 5. Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, cùm adhuc essemus peccatores.

SOLVTIONES ARGVMEN- TORVM M A T T H I A E Flacij Illyrici.

I.

Falsum testimonium dicentes, merito damnari debent.

Sed vos Accidentarij, accusantes Substantialistas de Manichaismo, dicitis falsum testimonium.

Ergo, merito dammandi estis. Minorem recentes Manichæi probant, afferentes, se Manichæorum heresin nobisum condemnare.

Respondeo: Quando illos, qui perperam de peccato sentiunt, Manichaismi accusamus; tum non omnium & singulorum errorum Manetis illos accusamus; sed similitudinem tantum dogmatum, cum Manichæis conuenientium, quoad doctrinam, *de peccato originis*, illis non immeritò obijcimus. Deinde in ipsa, *de peccato originis* doctrina, hoc inter Manichæos veteres & recentiores istos distat, *quod illi quidem peccatum, eiusq; autorem, coaternum faciebant Deo, neque concedebant, peccatum ex trans-*

gressio-

gressione ortum esse, quorum neutrum nostri videri volunt affirmare: Sed sunt tamen nonnulla, in quibus vel apertam cum Manichæis societatem deprehendas, vel ea saltem animaduertas, quibus concessis, Manichæa deliria refutari amplius haud possint: talia sunt ista.

Primum, quod naturam corruptam, quatenus natura est, ab ipsa corruptione, seu peccato, non discernunt, atque ita vel peccati autorem Deum, vel corrupta Substantia cretorem Satanam, necessario faciunt, licet hoc verbis, quantum posse sunt, negent.

Deinde, quod negant, peccatum originis esse accidentis humana natura vitium; qua in parte nequaquam eis patrocinatur, quod Accidentis definitionem quandam exagitant, qua illud dicitur *adesse vel abesse citra substantia corruptionem*. Substantiaz enim corruptio, in hac Accidentis definitione, de Physico intelligitur interitu, per quam corruptionem substantia suam amittit naturam, & id definit esse, quod erat. Corruptio autem, in disputatione *de peccato originis*, longè aliud significat, horribilem videlicet illam totius humanæ naturæ depravationem, vt neque agnoscere Deum, neque voluntati eius possit obsequi. Qua Amphibologia explicata, omnis ille, *de definitione Accidentis*, Manichæorum clamor in fumumabit.

Tertiò, quod Peccatum originis ipsam substantiam esse, dicunt, hominis corrupti, sine lapsi, qua

in returpiter falluntur. Nam hoc suo Paradoxo probare conantur, inter corrupti hominis naturam, ipsamque corruptionem, nullum esse discrimen; & ita peccatum originis ipsam hominis substantiam esse volunt, ut prior illa substantia, in qua homo conditus erat, abolita per Diabolum, & destruta, debeat intelligi. Quapropter & hanc suis dogmatibus blasphemiam astraunt, Christum assumpisse carnem alterius speciei, ut Illyricus loquitur: quod quidem eos fateti necesse est, quam diu intercorruptioni hominis substantiam seu naturam, ipsamque corruptionem discrimen nullum faciunt; & quam diu non tentantur, Peccatum originis ad naturam hominis, accidentis in far, accessisse.

2.

Quicquid est inconforme legi Dei, id est peccatum.

Sed tota hominis natura inconformis est legi Dei.

Tota igitur hominis natura est peccatum.

Respondeo: Hoc argumentum multis laborat vitijs. Primum enim, in maiore propositione, committitur fallacia figuræ dictiōnis, in interpretatione Græcorum verborum. Nam prima Iohannis Epistola cap. 3. sic legimus, *η ἀμάρτια εἰνὶ ἀροπίᾳ*. Vbi, si verbum verbo reddamus, *η ἀροπίᾳ*, non significat in concreto, *quicquid est inconforme*, sed in abstracto, *ipsam inconformatatem*, aut, si ita dicere licet, *illegalitatem*.

Iam, si huic maiori propositioni, *η ἀμάρτια εἰνὶ ἀροπίᾳ*, minorem subiungamus (*tota hominis natura est ἀροπίᾳ*) statim apparebit alterum vitium Sophisticum, repetitio videlicet principij. Non minus enim queritur; *an ipsa hominis natura sit ἀροπίᾳ*, quam queri solet, *virum sit ipsa ἀμάρτια*. Non autem ipsam hominis naturam vel ἀροπίαν, vel consequenter ἀμάρτια esse, inde manifestum est, quod quæ de substantijs, in questione *quid sit*, prædicantur, eavell *speciei* rationem obtinent, si substantia ipsa individuum quidam sit, vel *generis*, si substantia, quæ subiecti locum obtinet, in pronunciando, sit species aliqua. Iam vero ἀροπία & ἀμάρτια neq; species est, neq; genus humanae naturæ. Ergo de substantia prædicari non potest, in questione *quid sit*. Nam differentia propria & accidentia, non in *quid sit*, sed in *quale quid sit*, prædicantur: quemadmodum libenter fatemur, *hominem ἀροπον έστιν αὐτονομος*, &c. Deinde breuiter ex ipsa Theologia responderi potest: & primum quidem ad Maiorem; eam non simpliciter veram esse, sed solummodo secundum quid. *Quod enim inconforme legi Dei est, id est peccatum, quatenus videlicet est inconforme, non autem quatenus est substantia aliqua aut creatura Dei.* Itaq; cum dicimus, aliquid esse inconforme legi Dei, duo possunt intelligi. Primum ipsa ἀροπίᾳ, in illo inconformi inhærens, siue ut Paulus ait, Rom. 7. *τὸ κακὸν τὸ ἡμῶν παρεγένετο, malum nobis adiacens.* Deinde illud ipsum subiectum, siue natura, in

qua est illa *āvopia*, vel cui malum illud adiacet. Iam, si priori modo illud inconforme intelligatur, videlicet de ipsa *āvopia*, concedenda est maior propositio, ut dicitur, i. Ioh. 3. *Si ācuplia ī īāvopia*. Siautem inconforme illud subiectum in conformitatis, ut ita loquamur, *sive āvopia*, accipitur, tum negamus Maiorem, eiusque probationem petimus ab aduersariis, quam nondum attulerunt. Maiore propositione sic explicata, facilis etiam est responso de Minore: *Totahominis natura est in conformis legi Dei*, scilicet, ratione inherentis. In tota enim hominis natura nulla vis est aut facultas, neque animi, neque corporis, quæ peccato originis non corrupta sit, quæque non sit *āvopia*, sive in conformis legi diuinæ: Sed ipsa natura tamen non est ipsa *āvopia* sive *inconformitas*, quæm subiectum quodcunque, non potest vnum idemq; esse cum eo, quod subiecto inhæret. Tota hominis substantia seu natura non dicenda est in conclusione, *ipsa āvopia esse*, sive *peccatum originis*, sed *āvopia*, hoc est, *peccato originis corrupta*. Discri-
men autem illud inter *āvopia*, *āvopia* *āvopia*, vt tam diligenter obseruemus, tota à nobis postulat religio Christiana. Quomodo enim Deum, creatorem nostrum esse possemus credere, si verum esset, ipsam nostram substantiam peccatum esse, quod neque probat, neque approbat Deus. Rursus, quomodo credere possemus, aut CHRISTVM veram assumpsiisse naturam huma-
nam, aut naturam hanc nostram eius morte atque
merita

DE SECTA MANICHÆORVM. 91
merito ab ira Dei & aeterna damnatione liberatam esse, cum filius Dei peccatum non assumpserit, neque peccatum redemerit, aut saluum fecerit? Denique, quenam erit spes resurrectionis nostra, si ipsa natura si usubstantia peccatum esse credatur? Non enim peccatum resurget, neque in aeternam vitam introibit.

3.

Quicquid efficit omnia alia peccata, id est peccatum originis. Ipsum cor efficit omnia peccata Actualia.

Ergo, ipsum cor est peccatum originis.

Respondeo primū ad Maiorem: *Quod efficit peccatum, non est peccatum originis*; tanquam peccatum originis aliqua per se sit efficax substantia, cui propriè, & per se, actiones tribuantur, sed id quod peccato corruptum est, illud efficit omnia alia peccata Actualia. In peccatis enim illis Actualibus duo quædam sunt: vnum quidem Actio quædam naturalis, quæ ab ipsa substantia peccante efficitur, ut; *cum fur extendet manum, ad rapiendam rem alienam, extensio illam manus est res naturalis*. Alterum autem est vitium ipsius Actionis, quod videlicet manus rem alienam contrectat: quod vitium non ab ipsa natura, sed à corruptione, naturæ inhærente, proficiuntur. Vnde manifestum est, non solum peccatum originis, sed naturam, peccato originali corruptam, omnia efficere peccata Actualia. Atque hæc natura recte in Minore propositione appellatur *Cor*, secundūm sacras literas,

quia ex corde exierunt cogitationes male: sed eorum illud peccato corruptum debet intelligi. Quapropter & David, pro remissione peccatorum orans, *cor nonum in se creari potest, & Spiritum regatum innouari in visceribus suis.* Vnum tamen & idem erat cor Daudis, quod ad substantiam, & in peccato, & post renouationem, licet aliter posteà, quam antea, affectum. Ergo, non ipsum cor, sed cor corruptum, actiones efficit malas. Ita etiam idem cor nō ipsum peccatum originis, sed peccato originis corruptum, debet appellari. Hic in conspectu sint duo ista Paulina pronunciata, in uno eodemq; prioris Epistol. ad Cor. 15. capite, *Caro & sanguis regnum Dei non potest hereditare, neq; corruptio a quoque av. sine corruptelam hereditat.* Et mox: *oporet corruptum hoc sine corruptibile induere incorruptelam, & mortale hoc induere immortalitatem.* Ex his pronunciatis necessariò efficiuntur, maximum discrimen esse inter τὴν φρεσκὸν, quod regnum Dei non hereditat, & inter τὸ φρεσκόν, quod incorruptelam induet. Eodem pertinent & alia duo testimonia: vnum, i. Iohan. 3. In hoc apparuit filius Dei, ut soluat opera Diaboli: Alterum Matth. 18. Venit filius hominis seruare quod perierat: Vbi rursus manifestum est, in homine lapso discernendum esse inter illud, quod abolendum, & rursus inter illud, propter quod seruandum & restituendum venit, siue apparuit filius hominis. Quapropter & Paulus, ad Ephes. 4. Veterem & nouum homi-

hominem descens, non abolitione substantiae illos discernit. sed illum quidem corrumpi dicit secundum concupiscentiam carnis, hunc autem secundum Deum conditi in iustitia & sanctitate veritatis. Et 2. Pet. 3. Consimilis peccati originis extat descriptio, quod sit φαρετὸς ἐν κόσμῳ, Corruptio videlicet, qua est in mundo per concupiscentiam.

4

Quicquid Spiritus sanctus per Scripturam maximè accusat, illud est originale peccatum.

Sed Spiritus sanctus per Scripturam maximè accusat ipsum cor.

Ergo, Cor ipsum hominis, est peccatum originis,

Respondeo: Maior non recte definit peccatum originis, & sub generalitate & ambiguitate, Manichei, non obseruantes controvensiæ statu, falluntur. Non enim quicquid accusatur à Scriptura, est peccatum ipsum, sed peccati reum. Et cor hominis à Deo accusatur, non quaenam est creatura ipsius, sed per accidens, propter inhærens seu adiacens malum, quod per lapsum primorum parentum acquisitum est. Et quidē ipsa Scriptura discernit inter cor, & vitium in corde, ut Matth. 15. Ex corde egrediuntur cogitationes mala, &c. Item Ierem. c. 4. Lana à malitia cortum Jerusalem, ut saluasias. Idem probat Lutherus, super Euangelion Dominicæ Iudica, vbi inquit: Das Herz seines wœsens halben ist gut / aber der bruch ist böse vnd vom Teuffel.

5.

Illud quod est in homine primus fons & radix omnium actualium peccatorum, id ipsum est peccatum originale.

Sed ipsum cor, seu ipsa depravata natura, est fons actualium peccatorum.

Ergo, Cor seu natura depravata, est peccatum originale.

R. Ex puris particularibus nihil sequitur: non enim sunt aequipollentia, esse fontem actualium, peccatum, & esse peccatum originis, illud enim, esse fontem peccatorum actualium, latius patet. Nam & de actualibus peccatis dicitur, quod sunt fontes peccatorum actualium, & tamen non sequitur, ea esse peccatum originis: Ut, Anaritia est radix omnis mali. Initium peccatorum, amorsua est a Deo, superbia est fons peccatorum. Ebrietas est causa plurimorum peccatorum. Non ergo sunt aequipollentia, esse fontem peccatorum, & esse peccatum originis. Ad minorem: Cor est fons Actualium peccatorum, hæc propositio intelligenda est de vitiositate & prauitate cordis, de defectu & concupiscentia nobiscum nata. Cor enim, non ratione suæ substantiæ est causa peccatorum Actualium, sed ratione prauitatis hærentis in corde.

6.

Duo extrema, qua conueniunt uni tertio, ea etiam inter se conueniunt.

Sed hæc duo extrema; videlicet, peccatum originis & cor hominis, conueniunt uni tertio, scilicet,

licet, esse fontem actualium peccatorum.

Ergo, inter se conueniunt, & sunt Synonyma, peccatum originis, & ipsum cor hominis.

Respondeo: Nego Minorem, quæ falsa est. Nam, esse fontem peccatorum actualium, alia ratione dicitur de peccato originis, alia ratione de corde. Quando cor dicitur fons peccatorum actualium, monstratur ipsa prava substantia, ignens impuros motus. Cum verò de peccato originis dicitur, quod sit fons, causa monstratur, propter quam substantia malè agit.

Nec fanè, quæ aliquo modo saltē, & non per omnia conueniunt, in vno tertio, mox per omnia inter se consentiunt: Alexander fuit Monarcha, & Nero fuit Monarcha; Ergo, Nero fuit per omnia similis Alexandro. Nego consequentiam, quia plus est in conclusione, quā in praemissis.

7.

Origo peccatorum in homine, est peccatum originis.

Anima rationalis est origo peccatorum.

Ergo, ipsa anima rationalis est peccatum originis.

Respondeo: Nego consequentiam, & ratio est, quia ex puris particularibus nihil sequitur. Maior enim est particularis.

Aliquid, quod est origo peccatorum in homine, est peccatum originis, sed non omne. Nam & cor est origo peccatorum in homine, & tamen non est peccatum originis, &c.

8.

Lutherus in Gen. ait: Quod in homine fuit i-mago Dei seu originalis iustitia, id sequitur iam in eodem esse imaginem Sathanæ, seu iniustiam originalem. Ratio consequentia promanat ex Reg. Dialectices: Contrariorum eadem est natura.

Sed ipsa substantia Anima fuit imago Dei ante lapsum.

Ergo, iam eadem uniuersa, nunc est imago Sathanæ.

Respondeo: Nego consequentiam. Nam & Maior & Minor sunt falsæ. Lutherus non ponit in loco indicato eam assertionem, sicut hic Illyricus recitat, sed tantum dicit: *peccatum originis demonstrare, quid fuerit iustitia originalis, & contra.* Hæc longè commodius dicta sunt, quam quod Illyricus ponit, *quod in homine fuit imago Dei, id nunc est imago Sathanæ.* Hæc sententia absurdia, ne quidem per somnium Luthero in mentem venit. Minor est falsa. *Nam ipsa anima non fuit imago Dei,* teste Paulo, qui dicit, Sapientiam, iustitiam, libertatem & vitam fuisse imaginem Dei, seu iustitiam originalem in homine, Eph. 4. *Induite nonum hominem, qui conditus fuit secundum Deum;* in iustitia & sanctitate vera. Hæc verba declarant, imaginem Dei non fuisse ipsam animam rationalem, sed sapientiam, iustitiam, libertatem & vitam, quæ homo per lapsum amisit, animam vero candem retinuit: *imago Dei fuit in anima, non anima ipsa.* Præterea, et iam si

iam si maximè concedatur, imaginem Dei ante lapsum, fuisse substantiam animæ: tamen inde non probatur, iam substantiam animæ esse peccatum originis post lapsum: ed quod Sathan, author peccati originalis, post lapsum, sicut hoc viceversa de Deo recte affirmatur, qui dedit homini substantiam animæ.

Nec semper valet Regula: *contrariorum est en-dem ratio;* Non enim sequitur, fides & diffiden-tia sunt contraria. Fide iustificatur: Ergo, & dif-fidentia. Item, iustitia est à Deo: Ergo, & peccatum.

9.

Illud quod operatur in homine omnem concupi-scentiam, & facit omnia peccata actualia, est pecca-tum originis.

Anima autem seu substantia formalis, seu, ut Theologi loquuntur, cor humanum, operatur o-mnia peccata actualia:

Ergo, Anima seu ipsa substantia formalis anima, est peccatum originis.

Respondeo: Flacius omnis victoriæ palmam ponit in hoc vnicō argumēto, sed plana & solida est solutio. *Ex puris particularibus, &c.* Maior enim particularis est: Non enim omne id, quod operatur in homine omnia peccata actualia, est peccatum originis. Vtq; enim modo loquitur Scriptura: *quod cor gignat & fundat omnia pecca-ta actualia,* Mat. 15. & *quod peccatum habitans in hœc operetur omnia peccata,* Ro. 7. Deinde, si ipsū cor hominis est pecc. orig. tum necesse est statui, vel Deū esse peccati authorem, aut Sathanam esse

rerum conditorem. Sed vtraque sententia est blasphema, ergo nullo modo piè dici potest, cor hominis esse peccatum originis.

IO.

Anima est causa & fons peccatorum.

Anima est à Deo.

Ergò, peccatorum causa est à Deo, & Deus est author peccati.

Respondeo: In tertia figura tantum sit particularis conclusio, & sic debebat inferri: Ergò aliquid, quod est causa peccati, est à Deo. Et hoc verissimè dicitur, Deus enim est cōditor hominis: homo autem est causa peccati: sed non sunt vatum & idem; Aliquid quod est causa peccati, est à Deo, & causa peccati est à Deo.

CONTRA.

Si illud, quod est causa peccati est à Deo.

Ergò, etiam causa peccati est à Deo.

Respondeo: Diuersitas est manifesta, quia causa prima non semper adiuuat secundam. Voluntas humana libertate donata erat, & sponte sua, Deo nec volente, nec probante, nec impellente, auertit se à Deo. Voluntatem condidit Deus, & voluntas est causa peccari, & tamen causa peccati non est à Deo, quia voluntas est a gens liberum.

II.

In corpore Doctrina VVigandi aliquoties dicitur, ipsam depravatam naturam esse peccatum originis.

Item,

Item, Naturam corruptam & peccatum originis esse Synonyma.

Ergò, VVigandus sensit olim cum Illyrico.

Respondeo: Scio, Illyricum destitutum testis in omniis verbis diuini, vnde quaque corraderem probationes suæ opinionis, & inter alias etiam ex D. VVigandi libris vult suum Manichæismum probare. Verum in hac re non agit Illyricus candidè; probè enim scit Flacius, D. VVigandū semper aduersatum fuisse isti errori, quod peccatum originis sit substantia, &c, quod ipsa anima seu cor ipsum sit peccatum originis, sapientissime hoc testatus est D. VVigandus ad Illyricum, cum voce, tuta scriptis, & solidè eius commentum refutauit. Ad citatas vero phrases ex VVigandi libris, respondeo, esse ἀνεργούς in illis, & minus propriè (sicut extra certamina multis accidit) dici: ipsam depravatam naturam esse peccatum originis, & esse hæc Synonyma. Hoc autem voluit dicere D. VVigandus (sicut etiam præcedentia & consequentia in istis libris ostendunt.) Totam naturam hominis per peccatum originis esse depravatam, & ipsam depravationem naturæ seu virtutatem, natura, quoet & nativitate contractam, esse peccatum originis, que omnia peccata actualia producat, & gignat.

Hanc Responsionem esse veram ipse locus de peccato originali in Syntag. noui Testamēti indicat fol. 141. vbi disertè dicitur, omnes homines esse peccato corruptos. Item ibid. ait VVigandus: peccatum originis esse vitium, seu depravationem, seu malum in ipsa natura seu substantia hominum, qui

100 D. CVNRAD. SCHLVSSEL:

naturali modo nascuntur. Sed quia vniusquisque est optimus verborum suorum interpres, prouoco ad ipsum authorem librorum, D. Präfitem, qui se ipsum satis defendere, contra hanc calumniam potest.

12.

Id quod dominatum est recto imperio ceteris animalibus, id fuit imago Dei.

Sed ratio fui domina constituta super terras.

Ergo, ipsa ratio, seu rationalis anima est imago Dei.

Respondeo: Nego Maiorem, quæ ab Illyrico efficta est; Et cum quæritur propriè, quid surrit *imago Dei*, in homine, ante lapsum, ad interpretem Paulum respiciendum est, qui dicit, Ephes. 4. *imaginem Dei fuisse iustitiam & sanctitatem veram, non ipsam animam.*

13.

Lutherus, VVigandus, & alij, sapè dicunt, hominem esse imaginem Sathanæ.

Imago vero Sathanæ nihil est aliud, quam peccatum originis.

Ergo, homo est peccatum originis. Et & per consequens, peccatum originis est substantia.

Respondeo: Phrasæ istæ Doctorum Ecclesiæ, de imagine Sathanæ, libri & dextre sunt intelligendæ, cum enim Theologi dicunt, hominem post lapsum gerere imaginem Sathanæ, significant, hominem prauitatem & peccato representare & imitari Sathanam. Quod vero Illyricus

ex

DE SECTA MANICHÆORVM. 101
 exhibet phrasibus elicit, ipsam substantiam animæ esse imaginem Sathanæ, hoc ex nullius Theologi Orthodoxi libris, ne dum ex verbo Dei probabit. Nam contumeliosum est in Deum conditorem, dicere, quod anima hominis, secundum præstantissimam partem, sit *imago Sathanæ*: Deus enim adhuc creat, conseruat & propagat animas, sicut in Catechesi dicimus: *Credo, quod Deus creavit me cum omnibus crearis, quod corpus & animam mihi dedit, & aibuc sustentat.* Horrendum est cogitare, quod Deus creet imaginem Sathanæ. Moyles dicit: *Adam genuit Seth ad imaginem suam*: Et Paulus opponit inter se, *imaginem cœlestis, & imaginem terreni hominis*. De Substantiali Sathanæ imagine, nihil nouit verbum Dei.

14.

Quod est essentiale, nec potest esse accidens.

Peccatum est essentiale, teste Luthero.

Ergo, Peccatum non est accidens, sed substantia.

Respondeo: Est fallacia diuisionis. Nam Lutherus in loco isto, in sermone de triplice iustitia, Tom. I. Lat. Ienens. disertè sese explicat, cur peccatum originis vocet substantialia seu essentiale: non quod per se sit substantia seu essentia; sed quod una cum essentia propagetur, per nativitatem, nec aliquando transiret, ut actualia peccata; item, quod totam essentiam corrumpat, &c. Hæc enim sunt Lutheriverba. Ibidem addit, sibi nihil rei esse cum Logicis, quum peccatum vocet substantialia.

H

15.

Lutherus super Psalm. 51. ait, Homo peccator est substantia in Theologia.

Ergo, Lutherus Illyrico assentitur.

Respondeo: Lutherus ibi vocabulum *Substantia* sumit pro materia seu subiecto, non pro re, quæ sua natura per se subsistit: Sicut postea hæc verba subiungit: *Nam Theologia proprium subiectum est homo, peccati reus & perditus.* Item contra Latomum inquit: *Substantiam in disputatione de peccato, intelligo, non more Aristotelis, sed more Quintiliani.* Constat autem, Quintilianum vocabulum *Substantia* accipere non more Aristotelico, pro re, quæ sua natura subsistit, sed sumere pro materia, item, pro proprietate seu natura alicuius rei, quæ in subiecto hæret, & ipsam rei naturam describit. Sic enim ibidem inquit Lutherus: *Substantia peccati, est offensio Dei, proprietas & natura, &c.* Nam postea addit Lutherus, se substantiam accipere pro quidditate, id est, pro natura alicuius rei. Et potest queri, quæ sit substantia in iustitia, id est, quidditas. Qualitas est, quæ in re ine st, & qualis ipsa sit, commonstrat. Lutheri vero hanc mentem esse, liquet ex eo, quod peccatum appellat *malum separabile*, super 38. Gen. vbi ait, *Sunt enim peccatum & mors malae separabilia:* Item, quod peccatum originis vocat *morbum & qualitatem*. Ita enim scribit super Psal. 90. fol. 534. *Sic igitur peccatum originis qualitatem, sive morbum vocauerimus, profecto extre-um malum est, &c.* Tom. 4. len. *Qualitas vero*

& mor-

DE SECTA MANICHAORVM. 103

& morbus non est substantia, sicut pueri in Scholis nō runt.

16.

Lutherus in 3. cap. Gen. dicit, Imaginem Dei esse de essentia hominis.

Item, peccatum esse de essentia hominis.

Ergo, Lutherus facit cum Illyrico in hac controver-sia.

Respondeo: Primum est fallacia phraseos in formula *de essentia*. Nam *de essentia*, ut Dialecticis notum est, significat idem, quod per se accidens seu proprium, ut, *de essentia hominis est, numerare*, id est, *est proprium hominis*: Sic enim hanc phrasin explicant Sturmius & Erythræus, in Dialecticis suis libellis.

Secundò, Lutherus disputat in Gen. contra Pontificios Scriptores, qui negabant, *imaginem Dei esse connaturalem homini*, & dicebant, *esse exterum ornamentum, sicut corona in capite puella*: Inde porrò Scholastici inferebant, *hoc ornamento ablato, naturalia nihil minus mansisse integra*, id est, voluntatem hominis esse per se bonam, & hominem posse præstare seu facere Legem, quo ad substantiam facti, ut loquuntur: atque ita leue quoddam accidens ex peccato faciebant, quale accidens & nos negamus: Interea tamen rectè contra Manichæos recentiores, cum bona declaratione, vocem *accidentis usurpamus*, non ut qualitatem vel quantitatem peccati ea describamus: Sed ut ipsorum substantiam refutemus, quandoquidem ipse Flacius facetur; nullum

H 3

esse tertium inter Substantiam & Accidens.

Tertius, Lutherus in eod. com. super Genes. cap. i. fol. 18. dicit, *Adamum habuisse imaginem Dei in sua substantia: appellat ibideum peccatum originis venenum instillatum in naturam hominum.* Ergo non censet, *infiditiam originalem, & peccatum originis huic contrarium, esse substantiam.*

17.

Luth. super Psal. 51. ait: peccatum esse hoc totum, quod natum est ex Patre & Matre.

Ergo, Peccatum originis est substantia.

Respondeo: Nego consequentiam. Quia est fallacia figuræ dictionis. Et Lutherum ibi figuratè *per animalia concretum pro abstracto usurpare, ipse contextus indicat, mox enim subiungit: Natura primum per peccatum corrupta est.* Et quidem ab hac figura Metalepsī etiam verbum Dei non abhorret, vt 2. Cor. 5. ait Paulus: *fecit eum peccatum, id est, peccatorem vel reum.*

18.

Christus dicitur in Scriptura peccatum. 2. Cor. xinth. 5.

Christus est substantia.

Ergo, substantia aliqua est peccatum.

Respondeo: In factis literis vox peccati habet duplē significationem, primū significat vitium intelligentis naturæ, & vitiosam actionem cōtrariam Legi Dei. Secundū significat reatum propter vitium, & rem rem, pollutam atq; damnatam. Hic diuersus usus vocis peccati, diser-

tē po-

DE SECTA MANICHÆORVM. 105
tē ponitur à Paulo, in dicto 2. Cor. 5. *Eum qui non novit, &c.* Iam controvērsia est, de vitio hominis: Argumentum verò de secundo usu peccati loquitur; nihil itaq; ad rem facit.

19.

Homo dicitur peccatum.

Homo est substantia.

Ergo, Substantia est peccatum.

Respondeo: Concedo totum, si peccatum de reatu, seu re polluta & damnata, accipias. Si intelligas de vitio originis, falsa est Maior.

20.

Vitulus aureus dicitur peccatum.

Vitulus aureus est substantia:

Ergo, Substantia est peccatum.

Respondeo: Mutato genere prædicationis, &c. Vitulus aurēus per Metonymyam dicitur peccatum; effectus pro causa efficiente ponitur.

21.

Homo dicitur semen Serpentis, filius Diaboli, Hostis Dei, &c.

Sed hac atrociora sunt, quam si dicatur peccatum,

Ergo, homo recte dicitur peccatum.

Respondeo: Concedo totum, si peccatum intelligas phrasim Hebraicā, de subiecto reo, polluto & condemnato. Sed si vox peccati intelligatur, de peccato originis, falsum est argumentum. Differunt enim subiectum vitiosum, & vitium in subiecto.

22.

Mala mens, malus animus, & pessima hominie natura, sunt summa iniusticia & peccatum originis.

Sed mens & animus sunt Substantia.

Ergo, Peccatum est Substantia.

Respondeo: Mutato genere prædicationis, &c. Cum dicitur, mala mens est summa iniustitia; figurata oratio est: Nam, per Metonymiam, continens pro contento, & causa pro effectu ponitur; propriè loquendo: non mens ipsa, sed malitia in mente & animo, est iniustitia.

23.

Omne quod pugnat cum Deo & Lege ipsum, est peccatum.

Sed cor hominis, mens, voluntas, ratio atq; persa natura (qua sunt substantia) pugnant cum Deo & Lege ipsum.

Ergo, Cor, mens, ratio, voluntas, natura sunt peccatum.

Respondeo: Si vocabulū peccati accipis phrasē Hebraica, pro re iniusta, damnata, polluta, concedo: tota enim hominis natura rea & contaminata est, propter iniustitiam seu peccatum. Sed controversia nunc est cum Illyrico, *quid sit in homine peccatum originis.* In hoc sensu vocis peccati, nego Maiorem. Non enim omne, quod repugnat Deo, est vitium originis. Nam ipsa substantia Diabolorum & impiorum repugnat Deo, & tamen substantia ipsa, non est vitium ipsum, sed quiddam à Deo creatum.

Respondeo etiam ad Minorem, cor hominis,

mens, voluntas pugnant cum Deo, non per se, quatenus sunt substantia seu creatura, sed propter malum hærens in illis.

24.

Peccatum est avopia.

Avopia vero non significat accidentis, sed substantiam, pugnantem cum lege.

Ergo, peccatum est substantia.

Respondeo: Nego minorem simpliciter. Omnes enim docti & sani intelligunt, avopia a-pud Iohannem non significare concretum, hoc est, substantiam, vel naturam conditam; Sed abstractum, id est, discrepantiam seu repugnatiā contra legem Dei, siue ea sit vitium naturæ, seu vitiosa actio. Est quidem in ipsa hominis substantia avopia, propter quam & ab ijs citur mens; sed substantia ipsa avopia non est. Nam res condita à Deo, à vitio, quod aliunde accessit, distinguenda est.

25.

Fons causa, & origo qualitatum & actionum, siue bonarum, siue malarum, non est accidentis, sed substantia.

Peccatum originis est fons, causa, & origo omnium prauarum cupiditatum & actionum in homine.

Ergo, peccatum originis est substantia, non accidentis.

Respondeo: Vera est Maior, si propriè loquamur, & de causa efficiente, non instrumentali agamus. Substantiae enim sunt efficaces, & agunt per qualitates. Et, cùm hoc sensu accipi-

tur Maior, Minor falsa est. Non enim propriè, peccatum originis est fons, vel causa efficiens prauarum cupiditatum & actionū: Sed potius cor ipsum corruptum peccato, mens excæcata, voluntas peruersa, & tota anima, inimica Deo & legi. Hæc est vera causa efficiens, fons & scaturigo omnium actualium peccatorum, vt & omnium motuum in corpore & anima. Hinc Christus inquit, Matth. 15. *Ex corde egrediuntur prauocitationes, cades, adulteria, &c.* Iohan. 3. *Quicquid ex carne nascitur, caro est.* Et Luc. 6. *Malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum.* In his dictis Christi propriae sunt locutiones. Quod vero Paulus ait, Roman. 7. *Peccatum per mandatum operabatur in me omnem cupiditatem:* Figurata locutio est: Pingit enim peccatum originis per prosopopiam, vt sequentia manifeste testantur. Addit enim, *Peccatum per mandatum me decepit, & per illud me interfecit.* Etrursus: *Peccatum per bonum mihi operatum est mortem.* Visitatissimæ etiam sunt, in communilingua, eiusmodi formæloquendi, in quibus accidentia dicuntur aliarum qualitatum fons, vel causa, vel radix, vel origo; vt exempli causa: *Avaritia dicitur radix omnis mali;* *Superbia dicitur fons tristissimarum calamitatum,* *calor præter naturam generat acutos & periculosos morbos.* *Mors diuellit corpus & animam;* *Frigus gignit glaciem.* Nemo vero sanæ mentis dicit; Avaritiam, superbiam, mortem, calorem, frigus esse substantias. Ita nec Maior simpliciter

DE SECTA MANICHÆORVM. 109
ter est vera, nec Minor propriè, absque omni figura intelligenda est.

26.

Anima, quatenus est rebè condita, etenus est Dei creatura: quatenus verò corrupta est à Sathanā, etenus est peccatum originis.

Respondeo: Hæc cœuillatio est nullius momenti. Cum enim queritur de creatore animæ, de ipsa animæ substantia agitur, non de eius qualitate vel rectitudine, vel prauitate. Deus est conditor & sustentator animæ, non solum iustæ & rectæ, qualis fuit in Adamo integro, vel qualis est in homine aliquo renato; Sed etiam conditor & conseruator est animæ iniustæ, prauæ, non conuersæ, obnoxiae iræ Dei, & æternæ damnationi, qualis est in omnibus impijs. Psalm. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum.*

27.

Eadem anima est à Deo, & à Sathanā: ratione prima creationis est à Deo; Sed ratione transformationis est à Sathanā.

Respondeo: Nullum robur habet & hoc sophisma. Nam substantia animæ est à solo Deo, vt qui solus est conditor, & conseruator rerum, & in Propheta inquit: *Ego gloriam meam alteri non dabo.* Est igitur abominandum, cogitare, quod Deus, vel in

creatione, vel in conseruatione animarum, solum admittit Sathanam: Sicut Illyricus impie & blasphemè partitur opus creationis inter Deum & Diabolum, in confessione caco doxa, fol. 238, ubi clarè dicit: *Hominem ratione materie, esse opus Dei; ratione vero formæ, opus Diaboli.* Atque ita potiorem partem hominis, videlicet formam: (ut omnes Philosophi, & etiam Illyricus ipse in suis libris, formam materię præferunt) tribuit Sathanæ, ignobiliorē verò partem Deo. Nam corpus hominis Philosophi vocant materiam, animam verò formam. In eod. lib. fol. 319. clarius suam mentem aperit: Nam diserte dicit, *bonam animam ante lapsum à solo Deo creatam esse: prauam verò rationalem naturam, aut creaturam, quæ vocatur Originale peccatum, à Diabolo conditam esse.* Hæc enim sunt verba Illyrici.

28.

Sacra scriptura appellat homines impios, filios Sathanæ, serpentis semen.

Ergo sunt conditi a Satana.

Respondeo: Sic appellantur, non à sua subiecta, vel corporis, vel animæ, quasi eavel creetur, vel formetur, vel sustentetur, vel propagetur à Sathanæ, quæ opiniones sunt blasphemæ: Sed de malitia hominum impiorum hoc est intelligendum, quam Sathan illis inseuit & inspiravit. Item de imitatione; siquidem Sathanam imitantur impij, atque eius ductu reguntur & feruntur. Verba Augustini super 8. cap. Iohannis, cum hac responsione conuenient,

unt,

DE SECTA MANICHÆORVM. 111
unt, ita enim ait, super illa verba Christi: *Vix patre Diabolo estis: Non ergo (inquit) de illorū natalibus aut essentia, sed morib[us] & studijs, hæc Christi verba exponi debent: Nam filij Diaboli erant, non nascendo, sed imitando, & quod se ab hoo seduci & moueri paterentur ad oppugnandam veritatem, & ipsum Dei filium, cui Diabolus, iam inde ab initio, semper insidiatus est.*

29.

Carnis voce, sapè desorribit peccatum originis, vt Ioh. 3. *Quicquid ex carne natum est, caro est.* Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus Spiritum.* Et Paulus videtur promiscue vt hi vocibus, caro & peccatum.

Sed caro est substantia.

Ergo, peccatum est substantia.

Respondeo ad Maiorem, plurimū differunt hæc voces, caro & peccatum. Vocabulum *carnis* latius patet. Significat enim corruptam hominis naturam, & subiectum, in quo hæret peccatum: deinde vitiosas & damnatas actiones, ortas ex carne. *Peccatum* verò, in hac controversia, non significat subiectum, sed virtutem in subiecto, *malum* nempe *originis*, & *viciose actiones*. Non sunt igitur Synonyma, caro & peccatum. Sunt ergo quatuor termini in hoc argumento: Nam in priori testimonio Iohannis, ibi Phrasit, *caro est*, idem significat, quod res reæ seu polluta. In altero dicto Pauli significat *caro*, non substantiam, sed propriè accipitur pro virtutis carnis, seu pro carne, in qua sunt vitia, vt Luthe-

112 D. CVNRAD. SCHLVSSLE.
rus explicat, in 5. cap. ad Galat. primo lat. Tom. folio 442.

30.

Augustana confessio, Apologia, & Theologie-ruditi, utuntur his vocibus in descriptione peccati, ut sunt: Defectus, caligo, corruptio, destruc-tio, &c.

Sed ha voces non accidens, sed substantiam signi-ficant.

Ergo, peccatum originis est substantia.

Respondeo: Simpliciter nego Minorem. Nemo sanæ mentis pro substantia accipit has voces, sed pro accidentibus. Præterea nullo exemplo sacrarum literarum potest demonstrari, verba priuatiua, ut sunt: *Defectus, carentia, te-nebra, caligo, amissio*, significare substantiam & subiectum. Præterea si peccatum est corruptio, necesse est, id distingui à subiecto, quod corru-pit. Est enim insolubile hoc argumentum:

Omnis corruptio fit in subiecto.

Peccatum originis est corruptio.

Ergo, necesse est distingui inter corruptionem & subiectum, seu rem corruptam.

31.

Omne opus Diaboli est peccatum.

Sed cor lapideum & induratum, mens excaecata, &c. sunt opera Diaboli.

Ergo, mens & cor, qua sunt substantiae, sunt pec-catum.

Respondeo: Minor est falsissima. Non e-nim cor, mens, aut anima est peccatum, sed du-ties

DE SECTA MANICHÆORVM. 113
ties in corde, prauitas in anima, & cæcitas in mente, sunt opera Diaboli: & hæc vere sunt peccatum.

32.

Quicquid non est ex fide, peccatum est, Roma-nor. 14.

Sed cor & ratio in impijs sunt sine fide.

Ergo, cor & ratio sunt peccata.

Respondeo: Manifestum est, Paulum in di-cto citato, non de substantijs, sed de obediencia, & de actionibus, quæ sine fide suscipiuntur, loqui. Et, si peccatum accipis, *pro reatu, vel rea & polluta*, non negamus, *cor & rationem esse resreas, pollutas & damnatas*. Si vero de peccato originis accipiatur, non ipsum cor & mens, sed cordis prauitas, & mentis ignoratio, & animæ concupiscentia, est peccatum. Nam quo ad substantiam cordis & mentis, est ea ex Deo, fon-te fidei.

33.

Accidens est, quod adesse vel abesse potest, ci-stra subiecti corruptionem.

Peccatum vero corrumpit totam hominis sub-stantiam.

Ergo, peccatum non est accidens, sed substan-tia.

Respondeo: Nego Maiorem. Falsa est e-nim definitio accidentis. Et do instantiam hu-ius rei; *Defectus & aduersaria qualitates maximè corrumpunt substantiam, ut morbi, febris, pleuritis, pestis, peripneumonia, sepè interficiant hominem, &*

tamen nihilominus sunt accidentia. *Vulnus* est sanguine accidens, & tamen fide corrumpit corpus. Sic & peccatum. Plenior definitio accidentis optimè congruit peccato; *Accidens* est, quod per se non subsistit; nec est pars substantia, sed inest in alio mutabiliter.

34.

Inclinationes, motus, cogitationes cordis pravae, in impijs sunt peccata mortalia.

Sed bac omnia oriuntur ex corde.

Ergo, multò magis cor ipsum, ut sentinat alium malorum, est peccatum.

Respondeo: Sunt scopæ dissolutæ; Et aliud est in conclusione, quam in præmissis. Sic autem rectè infertur; Ergo, peccata mortalia ex virtuoso corde oriuntur, quod nemo negat. Si verò peccatum in conclusione, non pro virtute naturæ, sed pro re maledicta & rea, phrasî Hebraica accipias, potest totum argumentum concedi. Sed tum Manichæorum delirio nihil patrocinatur.

35.

Male actiones requirunt positivam aliquam efficientem causam.

Ex homine verò multa oriuntur male actiones.

Ergo est positivum malum, & causa efficiens peccatorum in homine.

Respondeo: Concedo argumentum, cor primum & malus animus sunt positivum malum, & causa efficiens peccatorum, & fons fontium omnium malorum. Sed hinc non sequitur: Ergo, cor est ipsa prauitas vel peccatum. Differunt enim causa effi-

efficiens & effectus, differunt subiectum, & viuum, hærens in subiecto. Nam insolubile est argumentum: Subiectum & res ipsi inherens, non sunt res ipsa unum. Nam, *Cantharus* non est vinum, nec vinum est cantharus. Peccatum est res inherens in homine vel in natura: vt Lutherus loquitur, in s. cap. ad Gal. Ergo, natura & peccatum non sunt unum & idem.

36.

Scriptura in accusatione & descriptione peccati originis, vitetur verbis significantibus substantiam, ut sunt, mens excœcata, intellectus obscuratus, voluntas prava, cor lapideum. Item, caro, sanguis, animalis homo, corpus peccati.

Ergo, peccatum ipsum est substantia.

Respondeo: Nego antecedens. Non enim potest doceri illo dicto scripture, quod vel Prophetæ, vel Apostoli vñ sint voce, significantem substantiam, quum propriè indicare voluerunt, quid esset peccatum, vt Iohannes ait: *καὶ πρίνα ἦν ἡ ἀρεφαία*, & quasi digito monstrat, quid sit peccatum, & solidam ponit definitionem. Alind verò est, ostendere, quid sit peccatum, & aliud est, ostendere, quod sit eius subiectum, quod propter peccatum abiciatur. Ita sacra scriptura vitetur interdum verbis substantialibus, in descriptione vel accusatione peccati, vt ostendat, Deum non tantum peccato, sed etiam subiecto, in quo hæret malum originis, irasci. Non autem volunt stabilire Illyrici furorem, quo ille afferit, peccatum esse substantiam.

I

37.

Dilige D̄ominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & totis viribus.

Ergo, innata integritas, & essentialis bonitas atque dilectio fuit iustitia originalis. Et econtra: Peccatum originale est essentialis malitia.

Resp. Nego consequentiam, quia sunt scriptae dissolute. Imago Dei non fuit aliquid essentiale, sed bonitas, sanctitas, iustitia, vita eterna & beata, quae bona omnia amisit homo. Haec autem non fuerunt substantia hominis, sed accidentes. Ergo non potest inde probari faror Manichaeorum.

38.

Vetus homo est substantia.

Sed vetus homo cum suis cupiditatibus est peccatum originis, Ephes. 4.

Ergo, peccatum est substantia.

Respondeo ad Minorem, verus homo, & peccatum originis, non sunt unum & idem. Verus homo latius patet, complectitur enim subiectum, corpus & animam, deinde vitium in natura, & finit mortem, quam circumfert homo propter peccatum. Sed peccatum originis proprium vitium & malitiam in natura significat, non ipsam substantiam. Falla est igitur Minor.

39.

Peccatum Iuda stylō ferreo excaratum est in tabula cordis. Ier. 17. Cor hominis prauum & arumosum est. Ier. 17. Video aliam legem in membris meis. Rom. 7.

Ergo, peccatum originis est substantia.

Respon-

DE SECTA MANICHAORVM.

47

Respondeo: Jeremias, cum dicit, peccatum insculptum esse cordi, disertè ostendit, aliunde esse substantiam cordis, & aliud insculptum peccatum, quantumuis altè impressum. Deinde cum cor, dicit, prauum & arumosum esse, non iude sequitur, cor esse ipsam prauitatem. Differunt enim, subiectum, & vitium subiecti. Paulus quidem appellat peccatum, legem in membris militantem; sed hinc non sequitur, peccatum esse substantiam. Nam & contrariae qualitates inter se pugnant. Et cum nominat legem in membris, ostendit, aliud esse membra, id est, potentias, atque ipsam substantiam animæ, aliud peccatum sauiens in anima. Et ut Augustinus per Tropum dicit: In homine pio ciuile bellum existere. Sic & Paulus Metaphora est usus.

40.

Peccatum est corruptio.

Sed corruptio significat Paulus substantiam. 1. Corinth. 15.

Ergo, peccatum est substantia.

Respondeo: Nego Minorem. Paulus enim, ut ostendat, quomodo intelligi velit, quod dixerat, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: addit; Neq; corruptio incorruptibilitatem: quasi dicat; Substantia quidem carnis manebit, & salvabitur, sed facta mutatione. Corruptio enim abolebitur, & restituetur integritas homini, animale quoq; induet spirituale.

41.

Paulus ait: Nos transformari à Spiritu sancto.

I 2

Ergo, necesse est, nos prius à Sathanā in ipsius imaginem fuisse transformatos.

Respondeo: Consequens nego. Nam contraria oppovuntur iuxta differentias, quibus dissident. Sathanas non est opponendus Spiritui sancto conditori, ut rerum malarum conditor & formator; non enim est omnipotens. Hoc solum sequitur ex phrasē Paulina, quia transformatur à Spiritu, ergo destruktus fuit in nobis imago Dei, ergo in peccatis fuiimus mortui, ergo noualux in nobis creaturæ formatur.

42.

Maledictio Dei mutat res optimas in pessimas.

Ergo, & Sathan potest hominem in suam imaginem substantialiter transformare.

Respondeo: Consequens est negandum, quia Sathan nequaquam eius est potentia, cuius est Deus. Corrumperet quidem & deformaret potest Sathan creaturas Dei solum ipsi permittitur: Sed nouas species, aut substantiales formas creare, nequaquam potest, sicut præclarè dicitur in Iure Canonico, 2. parte 26. causa Quæst. 5. Episcopi. *Quisquis credit, posse fieri aliquam creaturam, aut in melius deteriæve immutari, aut in aliam speciem vel similitudinem transformari, quam ab ipso omnium creatore, pagano & infidiли deteriore est.* Ambrosius etiam præclarè inquit: *Nemo potest mutare naturam, nisi qui Dominus sit nature.* Nam sicut tota rerum natura Dei opus est; Ita mutare eandem, eiusdem quoque opus est.

Seri-

43.

Scriptura testatur, homines impios similes esse brutis: Psalm. 49. Et ipsa natura mutata est, teste Augustin.

Sed in brutis planè alia est forma substantialis, quam fuit in Adamo integro.

Ergo, per peccatum nouam adeptus est homo fermam substantialiem.

Respondeo: A non distributo ad distributum non valet consequentia. Impij brutis similes sunt, secundum quid, non simpliciter: carent notitia Dei, iustitia, intellectu æternorum bonorum, curant tantum ventrem, ut bruta. Non verò carent impij anima rationali.

44.

Deus non est iniustus.

Sed Deus esset iniustus, si hominem, propter accidens solum, tam atrociter puniret.

Ergo, peccatum non est accidentis.

Respondeo: Nego Minorem, quæ non abest à blasphemia, ideoque neganda constanter. Adulterium Dauidis fuit accidentis, & tamen, iustissimo iudicio Dei, non solum atrociter est punitus Dauid, sed etiam meruisset in æternum abiici, nisi per penitentiam impetrasset veniam. Ad æ inobedientia, in esu pomi, fuit accidentis, fuit enim prauus motus voluntatis, & tamen Deus iustissime damnauit Adamum, & totam posteritatem, propter hoc tetrum accidentis.

13

45.

Si peccatum esset accidens, tantum accidentia essent corrupta, & naturalia integra.

Sed naturalia sunt corrupta.

Ergo, peccatum non est accidens.

Respondeo: Maiore est falsa; Nam multa sunt accidentia, quæcœdissimè corrumpunt substantiam & naturalia. Morbus est accidens, & sanè nemo potest negare, morbo destrui & confici corpora. Cæcitas est accidens, & fœdissimè destruit oculum. Sic peccatum, licet sit accidens, totam hominis substantiam corrumpit, & ipsa naturalia destruit. Cædes est accidens, & ramen horribiliter vastat conscientiam, & lacerat animam.

46.

Tantum due sunt partes hominis, corpus & anima; seu spiritus, non est tertia.

Vtrajq; pars peccato corrupta & destruxta est.

Ergo, peccatum est substantia.

Respondeo: Plus est in conclusione, &c. Sic enim recte concluditur; Ergo, nulla pars hominis est illæsa, aut immunis à peccato. Plurimum vero differunt: *Totanatura est corrupta, & corruptio est substantia.*

47.

Caro significat rem penitus damnatam & pollutam.

Sed totus homo caro est.

Ergo, in homine non est bona Dei creatura, qua distingui debet à peccato.

Respon-

Respondeo: Totus homo omnino est corruptus, nec potest dici bona creatura, quæ ex toto est peccato infecta & depravata; ac damnat Deus suam creaturam, propter deformitatem peccati & confusionem. Nec sse est tamen, distingui, inter rem conditam à Deo, & peccatum, quod accessit. Caro & sanguis sunt substantiæ, conditæ à Deo: Sed quia peccato inquinatae sunt, abiciuntur. Spiritus animæ est substantia condita à Deo, quoad materiam & formam substantialem: Sed malitia, quæ accessit, non est à Deo, & propter hanc Spiritus conditus est reus.

48.

Semen Dei in pjs. est positum bonum, videlicet Spiritus sanctus & nouus homo.

Ergo, & semen Sathanæ in non renatis est positum malum, & substantia.

Respondeo: Concedo argumentum. Fattendum est enim, spiritus impuros esse in impijs. Et non renati, qui sunt substantia, dicuntur semen Sathanæ, non quod eiusdem cum ipso naturæ sint, sed quod in ipsis sit semen Sathanæ, id est, peccatum originis, & quod ipsum imitentur, & ab ipso ferantur & ducantur ad ipsius libidinem. Differunt autem, *impius peccator est substantia, & peccatum est substantia.*

49.

Homo indiget transformatione, regeneratione, & non a creatione.

Ergo, fuit in eo substantialis forma Sathanæ.

Respondeo: Nego consequentiam, quia Sathanas non est conditor, qui substancialis formas infundat, nec necessitatem est, Sathanæ imaginem ponit, ybi Dei imago non est. Ex antecedente sequitur, hominem in peccato mortuum esse, & destitui vita spirituali, & quod noua creatione egerit.

50.

Forma est, qua dat efficeri,

Sed notitia mentis, iustitia, bonitas, fuerunt in Adam forma substancialis: nunc in homine corrupto, tenebra, iniustitia, malitia, sunt forma substancialis hominis.

Ergo, iniustitia & peccatum originis sunt substantia.

Respondeo: Minorem nego; iustitia enim & bonitas, non fuerunt forma hominis substancialis, sed accidentalis: alioquin homo, amissa iustitia & bonitate illa, post lapsam non esset homo, sed noua quædam species. Ita nec contraria virtus, iniustitia, malitia, &c. sunt formalis substantia hominis.

51.

Omnis corruptio substantia, abolita priore forma substanciali, introducit novam, eamq; substanciali formam.

Per peccatum totus homo est corruptus, tamquam ad animam, quam quo ad corpus.

Ergo, peccatum introduxit novam formam hominis, eamq; substanciali.

Respondeo: Primum, Si quis loginatur, loquatur ut eloquia Dei, ait Petrus. Cum igitur hoc

hoc principium, ex quo Maior formata est, sit ex Physica desumptum, non euertit veritatem cœlestem. Sed respondeo breviter: Non corruptio, sed generatio nouam formam introducit; in anima autem hominis, siue per peccatum, siue per restitutionem Spiritus, non fit Physica vel generatio, vel regeneration alterius speciei; sed planè Spiritualis, quæ non ex Physica, sed ex verbo Dei æstimanda est. Præterea ipse Illyricus, qui tamen victoriae palmam constituit in hoc argumento, sibi ipsi contrarius est, in hac doctrina de corruptione. Nam in clavis secunda parte fol. 488. disertè fatetur, se in hac disputatione loqui de corruptione Physica. In sua vero Confessione latina 241. afferit; se loqui de corruptione Spirituali, vnde apparet incertitudo doctrinæ Illyrici.

52.

Iniustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi. Et econtra iniustitia est constans & perpetua voluntas nemini tribuens, quod suum est.

Sed voluntas est substantia.

Ergo, & iustitia & iniustitia originalis sunt substantia.

Respondeo: Est fallacia æquiuocationis in vocabulo voluntas. Alias enim substanciali significat, ut in Physicis de Anima, alias non ipsam substanciali anima, sed sententiam definitam & animi propositum, sicut in hac I. C. definitione usurpatum.

§3.

Omnis figuratum cordis est malum omni tempore.

Hic utitur Moyses verbo substantiali.

Ergo, peccatum originis est substantia.

Respondeo: Non illo loco propriè Moyses disputat, quid sit peccatum, sed arguit peccatum naturam, quæ in vniuersum contaminata, deprauata & ad malum prona est.

§4.

Hostis Dei in nobis existens est peccatum originis.

Sed hic hostis est ratio humana, qua est substantia.

Ergo, peccatum originis est substantia.

Respondeo: Non ipsum peccatum sed anima peccans, propriè loquendo, est hostis Dei. Paulus vocat peccatum originis, legem militarem, sed figuratè loquitur, quod enim peruersa natura est, hoc tribuit ipsi prauitati.

§5.

Peccatum operatur, quod substantia est proximum.

Ergo, non est accidens.

Respondeo: Ipsiſ etiam qualitatibus varijs trahuntur effectus & operationes, calor solis est qualitas, & tamen multiplicia & insignia operatur in toto mundo: Morbus in corpore est qualitas, & tamen varia efficit, in quibusdam Phrenesin, in aliis paralyſin, tandem mortem infert.

Si

Si contendas, operationes omnes propriè à substantiis proficiisci, hoc tamen fatendum tibi erit, substantias per qualitates, tanquam per instrumenta, operari. Atque hoc modo figurata locutio erit, quia in instrumento tribuitur, quod est subiecti proprium.

§6.

Fons peccatorum actualium in homine est vetus Adam.

Peccatum originis est fons peccatorum actualium.

Ergo, Peccatum originis est vetus Adam.

Respondeo: Ex puris particularibus nihil sequitur, Maior enim non est completem vniuersalis. Non enim rectè dicitur: Quicquid est fons peccatorum, id est verus Adam, quia non solum vetus Adam, seu potius Adam iuxta suam vetustatem, sed etiam Diabolus, tum in semetipso, tum in hominibus est fons peccatorum. Minor quoq; huius argumenti nō extat hisce verbis in sacris literis. Quum verò Paulus ait, *peccatum, in se operari omnem concupiscentiam*, tum figuratè loquitur, per Protopopeiam describens hominem tanquam subiectum, in quo peccatum habitet.

§7.

Quicquid legi Dei non est conforme, id est peccatum.

Sed tota substantia corrupta legi Dei non est conformis.

Ergo, tota substantia corrupta, est peccatum.

Respondeo: Nego consequentiam, quia est fiducia Amphiboliæ; Nam vox peccati, in Minoris significat rem team offenditatem Deum, & promerentem poenas. Deinde si in Minore intelligas corruptionem, quæ totam hominis substantiam occupauit, sane vera est: Si vero accipias pro ipso corpore & anima, falsa est. Non enim substantia per se ratione essentia, sed ratione mali hærentis in ea, legi Dei repugnat. Si in conclusione vox peccati intelligatur, pro re rea & poliuta, potest ea concedi. Si vero in specie pro peccato originis accipiatur, falsa est.

58.

*Quicquid filius Dei destruit est peccatum.,
1.Ioh. 5.*

Sed filius Dei venit, ut destruat hoc caput peccati & moris.

Ergo, Cor lapideum est peccatum.

Respondeo: Nego consequentiam, quia sunt scopæ dissolutæ: & Maior est falsa, cœlum enim & terra destruuntur, & tamen non sunt peccata. Item regna & imperia huius mundi destruuntur à Deo, nec tamen inde sequitur, ea esse peccatum originis.

Deinde est ambiguitas in voce *peccati*. Nam hic in Maioritatum accipitur, pro re polluta & damnata, id quod nemo inficiatur. In conclusione vero Illyricus sumit pro peccato originis, quasi illud sit substantia, & hoc improbamus. Minor quoque mutilatè citat dictum Iohannis, quod ita sonat: *Filius Dei venit, ut destruat opera Diaboli.*

DE SECTA MANICHÆORVM. 117.
re Diaboli. Ex hoc verò dicto. Manichæismus nō probari potest. Postremò etiamsi corpus destruatur propter peccatum, tamen idem corpus resurget in nouissimo die.

59.

*Quicquid hominem facit iniustum & reum ira
Dei, id est substantia.*

*Sed peccatum facit hominem iniustum & reum
ira Dei.*

Ergo, Quoddam peccatum est substantia.

Respondeo: Maior est falsa. Nam Deus puniuit primos parentes propter ambitionem, esum pomi, contemptum mandati, &c. quæ tamen non sunt substantia: Item, homo reus est ira Dei propter concupiscentiam, propter malas cogitationes, &c. & haec tamen non sunt substantia: Ergo etiam Deus propter accidentis irascitur hominibus. Maiore igitur huius argumenti falsa, conclusio irrita est.

60.

*Quicquid Lex prohibet, est iniustitia seu pecca-
tum.*

Lex vero vetat, pessimam essentiam.

Ergo, pessima essentia est peccatum originis.

Respondeo: Minor est falsa. Nam Deus hominis essentiam nō accusat, quia est essentia: eatenus enim opus Dei est, sed quia mala & corrupta est; ergo est falsa.

61.

Praeius rex in homine, cognoscens Legem Dei;

128 D. CVNRAD. SCHLVSSÆLÆ:
nouum hominem, ac Spiritum eius, acerrime refi-
stens, est originis peccatum.

Vetus Adam est pessimus ille Rex.

Ergo, *vetus Adam est peccatum originis.*

Respondeo: Maior est falsissima & blasphemæ; Non enim de peccato dici debet, quod co-
gnoscat legem Dei, nouum hominem ac Spir-
itum; quia peccatum per se non est res intelligēs;
id quod solius hominis proprium est. Minor est
ambigua, & caret probationibus, non enim ver-
bum Dei & saniores Theologi sic loquuntur,
quod vetus Adam sit pessimus ille Rex, Paulus vero
ad Rom. 7. figuratè de peccato loquitur.

CONFUTATIO ARGUMENTORVM, QVIBVS NEGATVR, PECCATVM ORI- GINIS ESSE ACCIDENTS:

62.

Accidens est quiddam leue.

Peccatum originis est accidens.

*Ergo, peccatum originis est quiddam leue, quod
accidens dicitur.*

Respondeo: Nego consequentiam. Ratio est,
quia ex puris particularibus nihil sequitur. Ma-
ior enim non est vniuersalis. Nam multa sunt
accidentia, quæ noui sunt leue quiddam, sed gra-
uiissima potius & perniciöissima res; ut potio
veneni, morbi, pestes, sunt corruptiones morti-
feræ

DE SECTA MANICHAORVM. 129
feræ totius substantiæ: Stupra, virginitatem, adulterium, castitatem coniugalem auferunt. Hec accidentia nequaquam sunt res leues.

63.

*Accidens est, quod adesse vel abesse potest, circa
subiecti corruptionem.*

Peccatum originis est accidens.

*Ergo, illud potest adesse sine abesse circa humane
substantia corruptionem.*

Respondeo ad Maiorem. Est falsa definitio,
quia non est vniuersalis, quæ omnibus accidenti-
bus conueniat, sed tantum quibusdam; eamque ob causam etiam à Philosophis repudiatur.
Propriè autem accidentis vocatur, quod nō est ipsa
substantia rei, sed in aliquo est mutabiliter. Sic Mi-
nor patet, quod peccatum originis non est ipsa sub-
stantia hominis, id quod ex verbo Dei manife-
stum est. Nam sine peccato originis substantia
hominis est condita, & consistit ante lapsum.
Imò & natura humana, quam filius Dei suscep-
pit, fuit sine omni peccato originis. Deinde hæc
ipsa nostra substantia, quæ constat corpore & a-
nimæ, erit aliquando sine peccato originis. Er-
go manifestissimum est, rectissimè dici, *peccatum
originis esse accidens, tum, quod accessit ad substi-
tutiam hominis, tum quod aberit à substantia homi-
nis post resurrectionem, ipsa substantia manente in-
perpetuum.*

64.

Accidens est quod forinsecus seu aliunde accedit.

Sed peccatum originis in posteris & Ade, non accedit forinsecus, sed innascitur, estq; in ipsa materia hominis.

Ergo, peccatum originis non potest dici accidens.

Respondeo: Maior falsa est, quia multa accidentia etiam nascuntur cum substantia, ut sunt colores, proportiones membrorum, & alia quedam, proprietates & vires in animalibus, in herbis, lapidibus: nascuntur cum multis brutis quedam feritates, quæ tamen arte corrigi, &c ad curationem quandam deduci queunt. Est igitur Maior tantum particularis, non est vniuersalis. Non enim recte potest dici: *Accidentia sunt quæ tantum forinsecus accidunt, &c.*

65.

Accidens est, quod foris tantum adharet substantia, ut fucus puella, color in pariete.

Peccatum originis est accidens.

Ergo, tantum foris adharet substantia hominis.

Respondeo: Maior est futilis & falsa. Nam accidentia non tantum extra substantiam, sed intra eam quoque existunt. Certè eruditio, memoria rerum, affectus, sunt interiora accidentia.

66.

Accidens est, quod mutabiliter est in aliquo.

Sed

Sed peccatum originis non est mutabiliter iam in homine, donec in hoc mundo vinit.

Ergo, peccatum originis non meretur dici accidens.

Respondeo: Maior non sic intelligenda est, aut restringenda, quasi accidentia omnia mox possint tolli aut mutari, sed quod aliquando sint mutabilia. Ad Minorem itaq; respondeo: Reactus in hac vita, per fidem in Christum remouetur, & inchoatur quedam nouitas, sed erit tempus, neimpè in resurrectione, ubi prorsus ex substantia hominis remouebitur peccatum originis, id quod nemo sanus inficiari poterit.

67.

Si peccatum originis est accidens, tunc tantum accidentia in homine, & non ipsa substantia hominis est corrupta.

Sed vos sic docetis.

Ergo, &c.

Respondeo ad Maiorem: Hypotheticam non potest; ut si dicas, si animus habet penas, volabit. Deinde est fallacia, secundum non causam ut causam, nam in subiecto Maioris non inest causa, cur eius praedicatum consequatur. Posunt enim utraque membra istius propositionis recte & verè consistere: nimurum, & peccatum esse accidens, & non tantum accidentia, sed substantiam ipsam esse corruptam, id quod nos docemus & profitemur. Sed connexionem, qua prius argumentum destituitur, videamus.

Accidentia mala, non substantiam rei, sed solum

Iummodo eius accidentia corrumpunt.

Peccatum originis est accidens.

Ergo non substantiam hominis, sed accidentia ipsius duntaxat corrumpit.

Respondeo: Maior est falsissima. Nam venenum, lepra, ipsam quoque hominis substantiam corrumpunt, id quod à *vitæbeia* quoq; in multis creaturis docet.

68.

Si peccatum originis est accidens, tunc Christus tantum pro accidentibus est passus: qua quidem asseveratione nil potest dici in filium Dei contumeliosus.

Sed Christus pro tota hominis substantia est passus.

Ergo, peccatum originis non est accidens.

Respondeo: Est fallacia secundum non causam vt causam. Nam in Maiori nulla est connexio. *Vt raque enim membra possunt stare, & peccatum originis esse accidens in hominis substantia, & Christum non passum esse pro solis accidentibus.* Ratio est evidens, quia totam hominis substantiam inuasit, penetrauit, occupauit, corruptit. Ego, totam hominis substantiam Christus redemit & saluat. Maior itaque nascitur ex præstigis superioribus, quasi accidens sit res leuis, extra substantiam hominis posita, inefficax.

69.

Si peccatum originis est accidens, tum eo ablato, substantia hominis est integra.

Sed

Sed substantia hominis non est integra, hoc est, non habet imaginem Dei, licet peccatum originis anferatur,

Ergo, peccatum originis non est accidens.

Respondeo: Maior est fallacia secundum non causam vt causam, hoc est, nulla est cohærentia. Ratio est, quia hoc accidens, nempè, *peccatum originis*, efficit, vt multa ingentia bona sint amissa, scilicet, *imago Dei* in rebus Spiritualibus, & vt tota hominis massa sit depravata. Nascitur autem fucus in Maiori tantum ex eo cauillo: *Accidentia duntaxat foris in substantiis harere, non penetrare, non corrumpere eas, esse lenia mala.* Verum ista, cùm puerilia, tum manifestè falsa esse, nemo non videt, qui in doctrina pieratis mediocriter est institutus. Dicebat quidam, *peccatum originis se perinde habere in homine, ut allium, Magnetum allitum, quod eiusdem naturalem vim, trahendi ad se ferrum, impediret.* Verum eo remoto, *Magnetem vim suam, quam intra se retinisset, licet externo impeditus Accidente fuisset, iterum exercere & exercere.* Sed nequaquam peccatum originis tale accidens est. Extinxit enim in homine lucem de Deo, ab stolidi iustitiam ex tota hominis substantia, depravauit animam & corpus, adeò, *ut sensus carnis sit inimicitia adversus Deum.* Romanorum octauo: opus igitur habet, tota substantia hominis regeneratione, restauratione Spirituali. Iohannis primo, vt iam dicemus.

70,

Quicquid opus habet regeneratione, id non potest dici accidens.

Sed peccatum originis opus habet regenerationem.

Ergo, non potest dici accidens.

Respondeo: Minor est manifestè falsa. Non enim peccatum originis regeneratur, sed tota hominis substantia regeneratur; Ita quidem, ut auferatur peccatum originis; Primum in hoc mundo, imputatione iustitiae per Christum acquisitæ, & quadam inchoatione nouitatis. Deinde in resurrectione, ex tota hominis substantia in uniuersum delebitur, & tota imago Dei nobis restituetur. Si minorem ita formares, sed substantia hominis opus habet regenerationem. Ergo, substantia hominis non est accidens; cōcedendum esset totum argumentum.

. 71.

Substantia non est accidens.

Tota hominis substantia appellatur peccatum.

Ergo, non est accidens.

Respondeo primo ad Minorem. Nusquam docet sacra Scriptura, homo est peccatum originis. David inquit: *Ecce, in iniquitatibus conceptus sum.* Hæc autem sententia non æquipollit illi, hominis substantia est peccatum originis. Testatur enim hoc loco tantum Propheta, se in conceptione sua imbutum fuisse peccato originis. Deinde in Minori peccatum significat, phrasi Hebraica

DE SECTA MANICHÆORVM. 135
Hebraica, rem ream & damnatam à Deo, nisi per Christum fiat remissio.

72.

Quæ in Scriptura sacra substantialibus nominibus efferuntur, non possunt dici accidentia.

Sed peccatum originis substantialibus verbis effertur.

Ergo, peccatum originis non potest dici accidentia.

Probatur Minor, quia Scriptura vocat carnem cor Adamantinum, legem membrorum, scoriæ, cervicem ferream, &c.

Respondeo: Simpliciter nego Minorem, Ratio est quod regula Scripturæ est, differre locutiones simplices & figuratas. Item, figuratas locutiones reducendas esse ad simplices locutiones. Hæc nunc ad allegata testimonia applicentur. *Caro concupiscit aduersus Spiritum,* est synecdochica locutio, complectens & substantiam hominis, & eius depravationem. Simplex autem oratio, *Caro corrupta concupiscit aduersus Spiritum.* Nam opus Dei ab opere diaboli necesse est discerni.

*Cor Adamantium, ceruix ferrea, scoria, sunt Metaphoræ, quibus corruptio substantia ex-primitur. Nam cor non est ipse Adamas, sed duritie adamantem, ceruix ferrum repræsentat. Porro, phrasis illa, *lex membrorum,* non hoc vult, peccatum originis esse ipsamet membra hominis, sed in membris, ut loquitur Paulus, est quiddam potens & efficax malum, quod meta-*

K 3

photice legem appellant. Est ergo fallacia compositionis & diuisionis, legem ipsa membra pro eodem usurpare. Membra quidem ipsa hominis, per se sunt substantia. Nam hoc in loco membra, totum hominem, corpus & animam hominis, Paulus vocat. At lex in eis, de qua hic Paulus differit, est accidentis, quia membra obsidet, ligat, atque impellit ad mala.

73.

Quicquid vocatur substantiale, vel, de essentia, id est substantia, & non est accidentis.

Lutherus ipse, peccatum originis vocat substantiale, item, de essentia.

Ergo, non est dicendum accidentis.

Respondeo: Nego Maiorem, quia sententia genuina & propria, ex authore eorum phrasium petenda est. Nam vocabulum *substantia*, varias recipit significaciones. Sic etiam quando dicitur, *aliquid de essentia esse*, non eodem modo intelligitur; id quod ex Minori, quæ in primis huc est *neuvourov*, patebit.

Ex Minore igitur recte ex Luthero responderetur, qui in enarratione Genesios, vbi his vocabulis vtitur, nequaquam assentit, *peccatum originis esse substantiam*. Ratio illustris est, quia diversis verbis inquit: *peccatum esse fermentum Diaboli, quo natura infecta est*: Genes. 4.2. His verbis palam naturam ipsam hominis, & fermentum eius, quod accessit, discernit; sic inquit: *materialis hominis esse vitiantem*. Secundaratio est,

quod

quod propositum Lutheri est, Scholasticorum deliramenta refutare, qui afflant, *naturam post lapsum mansisse integrum*. Item, *peccatum originis esse quiddam exterrnum & leue malum*, sicut *corona in capite pueri*. Huc igitur omnes vires intendit Lutherus, peccatum originis totam hominum naturam penetrasse atque corrupisse, ita ut nihil sanum, nihil iustum sit a peccato, in tota hominum massa. Sic scilicet ait, *peccatum esse substantiale*, quod substantiam hominis deprauavit. Sic ait, *esse de essentia*, quia non habet in cute, tanquam color in pariete, fucus in facie, allium in magnete; sed in ipsa hominis essentia habitat, ut loquitur Paulus: *anno in qua regna omnia in eo*. Non igitur fas est, contra mentem intentionem & expressa Lutheri verba, ex hoc loco exsculpere istud dogma, quasi docuisset, *peccatum originis esse substantiam*, id quod illi viro ne somnianti quidem, in mentem venit.

74:

Res positiva non est accidentis.

Peccatum originis est positivum malum.

Ergo, peccatum originis non est accidentis.

Respondeo: Est fallacia æquinoctialis. Nam terminus ille, *res positiva*, in Maiori intelligitur de substantia, in Minori vero de accidente. Nam ea locutio Philosophica interdum de substantia, interdum de accidentibus usurpatur.

Maior iraque est particularis. Nam si fiat vniuersalis, ut pote, omnis, nulla res positiva est accidens, falsa est. Porro, opponuntur sibi inuicem, priuatio, & positio rei contraria. vt in curatione morbi, priuat substantia morbo, & reponit sanitas: disciplina priuat hominem malis moribus, & reponit bonos mores: Item, mala sodalitia priuant hominem pietate & honestis moribus, & conuertatque substituunt impietatem atque inanitiam. Sic, virtutibus sublatis, succedunt vitia seu mali habitus.

Ad Minorem: Sic, in doctrina de hominis corruptione, dicitur, peccatum originis esse, non tantum priuationem iustitia originalis, sed etiam habitum corruptum, vt loquitur Apologia Confessionis Augustana, seu, positivum malum: non hoc pronunciatur, peccatum esse substantiam, sed esse malum quoddam ingens in substantia, non esse fragmentum inane.

75.

Kaupoovia, iuxta S. Pauli admonitionem, sunt fugienda.

Sed de peccato originis effenerare, quod non sit substantia, sed accidens, est kaupoovia.

Ergo, non est dicendum, peccatum originis esse accidens.

Respondeo: Est fallacia, à dicto secundum quid. Nam omnia noua vocabula non potest Ecclesia Dei vitare aut repudiare, sed ea duntaxat, quae non sunt necessaria. Item, quae pugnant cum verbo Dei, vel sunt per se ambigua, flexilo-

flexiloqua, periculosa. Porro interdum Ecclesia Deinoua vocabula assumit, urgente necessitate vel in controuersijs & disputationibus, vel docendi causa in scholis, vel Ecclesijs, vt; recte Ecclesia assumpsit vocabula, & ius, & nosceos, persona, & quodvis, in loco de Deo. Ex his patet, Maiorem esse particularem tantum; itaque argumentum nullius est ponderis.

Deinde Minorem nego. Ratio est, quia, opponere antithesin veram falsa sententia, non est nostra fingere vocabula. Neque est vocabulum accidentis profructus ignotum, in doctrina Ecclesiæ Christi. Cum enim de Deo sobrie differitur, non omitti solet ista explicatio; an sapientia, iustitia, dilectio in Deo sint accidentia, perinde ut in nobis hominibus. Ac disertè instituitur discentes, in Deum non cadere accidentis. Est enim ipsa Dei sententia nihil aliud, quam æterna sapientia & iustitia; quamuis ista sint tam sublimia, vt captum humanum quam longissime excedant. In hac vero controuersia, in qua oppugnatūr atque rejectūtur illud falsum dogma; Peccatum originis esse substantiam, necesse est, opponere hanc propositionem, peccatum originis est accidens. Nam Deus ipse in duo diuisit, quicquid in orbe fuit, hoc est, in Substantiam, & Accidens. Deinde, non potest dari medium vocabulum in hac disputatione, ad refellendam doctrinam, quod peccatum sit substantia. Quid igitur est? Negas recte accidens dici? Quero, quid igitur tu disputationi pertinaci de substantia obijctes? Verbis, inquis,

inquis, *scriptura cum ipso agendum*: Concedo. Sed quibus volest? forte dices, *esse malum inhabitans, esse corruptionem natura?* Benè. Sed quid est illud malum inhabitans? Quid est corruptio naturæ. Disputator, & anxiæ mentes, sciscitabuntur iterum: *Estne substantia ipsa hominis, vel accidens?* Si porrò afferas, te non velle à verbis scripturæ recedere, rursus audies, benè. Sed quomodo nodum disputationis solues? quomodo implicatas conscientias expedites in hac controuersia? Eadem opera reijcias etiam, vt fecerunt Polonici Antitrinitarij, Ecclesiæ voces, *tres esse personas diuinitatis, unam esse efficiatam, reijcias etiam vocem peccati originis,* quia in verbo Dei non extat, & similia multa.

Rom. 7. *Malum adiacet, mægnesiu, Lutherus, Es hengt mir an; quod autem alicui adherere, id non est substantia, sed accidens.* Iam, quid inter adiacens hominis, & accidens hominis sit discriminis, annotent illi, qui eam locutionem reprehendunt. Lutherus inquit, *peccatum originis est fermentum Diaboli, quo natura est corrupta.* Iam quaeritur, fermentum illud Diaboli, an non apud omnines sanos, accidens mereatur dici? quia substantia hominis, &c, fermentum Diaboli secernenda sunt.

76.

In Theologia, hoc est, in docendo verbum Dei, tum in scholis, tum in templis, tantum verbis scriptura est utendum.

Sed

Sed peccatum originis esse accidens, non est in scriptura sacra exp̄esse traditum.

Ergo, non sic loquendum est.

Respondeo: Maior falsa est, quia impossibilis est. Causa est, quia variant controuersiæ, quibus accommodanda sunt vocabula, competentia illis controuersijs, vt nimirum refutentur præstigiatores, & expediantur è laqueis errorū, auditores. Landabiliter Augustinus inquit: *licet disputandi & loquendi consuetudine, dicere, tres esse personas, non quod scriptura non dicit, sed quod scriptura non contradicit.* Præterea, qui Maiorem vrgent, ipsimet in docendo non abstinent à multis vocabulis, quæ scriptura non habet, sed alioquin in vsu versantur. Maioritaque hic limitanda est, vel verbis scripturæ sacra, vbi haberi possint, utendum est, vel consentaneis scripturæ, hoc est, non continentibus aliquid contra verba divina. Paulus præcipit, *analogia fidei esse docenda.* Motositatem porrò eorum, & intemperituam sapientiam, qui vocabula Dialectices, quantumvis sobrie & dextrè usurpata, omnino in docendo ac discendo ex scholis explodenda censem. An nyciras mittendas esse iudico. Nam artes, quæ sine dona Dei eximia, Ecclesia Dei vera vocatio nam repudiat aut contemnit, licet abusione ab vituperat, quia tantum à vero atque legitima verbi vsu, prudenter atque in timore Dei, segregandus est. Deinde Minorem magis aqua verbum Dei habet æquipollentes

phrases; vt, malum adiacebat homini, Rom. 7. *Intrauit in hominem*, Rom. 5. Quando enim aliquid ex verbo Dei damnandum est, tunc non sufficit, causam illam prætendere, quod literæ aut syllabæ illæ non extent in verbo Dei, sed oportet etiam hoc evidenter destrui & demonstrari, quod res illæ, comprehensæ in istis vocabulis, non sint sacris literis consentaneæ, aut analogæ fidei, seu, quod non reperiantur æquipollentia in eis.

77.

Quicquid ab homine in hac vita penitus remoueri nequit, id non est accidens.

Peccatum originis tam altè insedit hominum natura, tamque potenter eam penetrauit atque occupauit, ut in hac vita non possit ex ea penitus excindi & remoueri.

Ergo, non potest dici accidens.

Respondeo: Maior est falsissima. Multae enim sunt in substantia hominis Accidentia, quæ in hac vita non mutantur. Nam substantiae fine quibusdam accidentibus subsistere nequeunt. Deinde, quod ad Minorem: licet in hac vita peccatum originis non possit ex natura hominis remoueri, tamen in nouissimo die extirpabitur, & remouebitur, id quod ex verbo Dei certissimum est.

78.

Si peccatum originis est accidens, purè passiuæ Lutheri in conuersione est damnatum.

Sed vos dicitis esse accidens. Ergo, &c.

Respon-

Respondeo: Nego Maiorem; quia ista hypothetica nullam prorsus habet connexionem, nec satis est, sic pronunciare: probanda est illustri & firma probatione Maior, aliâs vana est. Possunt enim vtraque consistere, &c., peccatum originis esse accidens, &c., purè passiuæ in conuersione retinendum esse. Ratio est, quia se inuicem non destruant. Sed expendamus, docendi & discendi gratia, quomodo argumentum construi queat.

Purè passiuæ se habere in conuersione, non est accidens, sed substantia hominis.

Sed peccatum originis est, purè passiuæ se habere in conuersione.

Ergo, peccatum originis non est accidentis, sed substantia hominis.

Respondeo: Spectatum admissirissimum teneatis amici. Nam monstrorum sententiæ monstrorum dignunt argumenta. Maioritaque negatur. Estque petitio principij, indigens adhuc alia probatio-ne. Imò, non potest probari. Deinde Minor est aliud monstrum. Non enim est plena definitio peccati originis, licet effectus peccati originis sit, exercere inimicitiæ aduersus Deum, Roman. 8.

79.

Tota hominis substantia non est accidens.

Tota hominis substantia passiuæ se habet in conuersione.

Ergo, passiuæ se habere in conuersione, non est accidens.

Respondeo: Est fallacia accidentis, videlicet;

compositionis & divisionis, ut Dialectici loquuntur. Maior indistinctè pónitur, sed transeat in præsentia, qualis qualis sit. Minor intelligenda est de corrupto homine. Nam eam ob causam passiuè se habet in conuersione, quia corruptus est, non sic se habiturus, si corruptus non esset. Item, in Maiori substantia hominis consideratur, & opponuntur corpus atq; anima, & deinde accidens. In Minor autem dicitur, de proprietate illius substantiæ, hoc est, de facultatibus animæ & corporis. Ergò, alia est compositionis membrorum in Maiori, & alia in Minoris.

Clariùs sic formaretur.

*Quicquid est substantia, id non est accidens.
Sed purè passiuè se habere, est substantia.*

Ergo, purè passiuè se habere, non est accidens.

Respondeo: Hæc facile amici rident. Minor enim est falsissima.

80.

*Quicquid est toti hominis substantia proprium,
id non est accidens.*

Sed purè passiuè se habere, est toti hominis substantia proprium.

Ergo, purè passiuè se habere non est accidens.

Respondeo: Risum teneatis amici. Maiorem oportet vos credere, licet sit falsissima. Deinde minor quoque est fallacia accidentis. Nam non est proprium, iuxta creationem Dei, sed iuxta depravationem, quæ intravit humanam

natu-

naturam ex lapsu Adæ, Rom. 5. Vbi igitur maneat ista propositio; Peccatum originis non est accidentis? Respondeo: Nulla probatione vestiri potest; idèo nuditatem propriam agnoscens, sub folijs fucus delitescit.

81.

Qui negat, peccatum originis esse qualitates, is negat, peccatum esse accidens.

Sed Lutherus reicit hanc scholasticorum sententiam; Iustitiam originalem & peccatum originale esse qualitates.

Ergo, Lutherus negat, peccatum originis esse accidentis.

Respondeo: Maior non est vera. Nam non solum qualitates sunt accidentia, sed etiam actiones, passiones, & similia. Deinde Minor est ignoratio clenchi, & gignit propositiones plures, quam autor ponat. Nam manifestum hoc est, Luthetū summis viribus illud dogma scholasticorum impugnare; Naturalia hominis manus integra. Secundò arguit & illum errorem, quod peccatum originis sit tantum exterrum quidam, sicut corona in capite pueræ, & ex aduersio vrget, quod universem hominis naturam corrumperit. Tertiò docet, non esse tantum qualitates malas, sed totam hominis substantiam esse depravatam & peruersam. Ergò, Lutheris sententia nequam est, peccatum esse substantiam, vel, peccatum non esse accidentis. Imò disertè inquit; esse vitium in materia hominis, affirmat, esse fermentum Diaboli, quo natura est corrupta,

ut sepè monuimus. Id verò, quid aliud reuera est, quām affeuerare, peccatum esse accidens, & quidem tale & tantum, ut totam hominis substantiam occuparit, penetrarit, & corruaperit.

82.

In rebus Theologicis Logica disputationes rejicienda sunt.

Affeuerare, peccatum esse accidens, est Logica disputationis.

Ergo, non est dicendum, peccatum esse accidens.

Respondeo: Est fallacia à non distributo. Nam Maior non est vniuersalis, sed secundūm quid intelligenda est, scilicet, res sacras ex Logica non posse peti, verum ex verbo Dei. Deinde, Logicas regulas non esse male accommodandas ad res diuinias. Sed fundamenta cœlestis veritatis ex Logicas praeceptis petenda non esse. Sobriè autem & dexterè ordinem atq; explorationem structurę in argumentatione obseruare; Item, vocabulis artium vti, nequaquam in verbo Dei est prohibitum. Nam Logica est insigne donum Dei, & ipse Christus Apostoli & Prophetæ contextu argumentorum vtuntur. Insuper à ratione & natura hominis alienum est, prorsus vocabula artium exterminare. Nam alioquin in vulgari oratione occurrunt illæ locutiones; *hoc est, substantiarei, hoc aliund accessit, hanc rem effecit illud, hec est materia rei, hec est forma, hic finis.* Est igitur illa morosa impietas, quæ in docendo prorsus vocabula repudiat, meritò explodenda. Imò, illi ipsi, qui hac in parte iniquio-

res

fes sese p̄fēbent, crebriùs artium vocabulis vtuntur: Nam sine illis aptè & méthodice r̄s, quas proponunt, tractare non possunt:

Deinde Minor est falsissima. Non enim sequitur; Vocabulum est ex Logica; ergò res etiam, quæ sub ea voce comprehenduntur, sunt ex Logica desumptæ: Non enim hic de syllabis litigatur, sed de rebus omnibus amplissimis, nimirum; quod peccatum non sit quiddam à Deo creatum, non sit ipsamēt anima & ipsummet corpus hominis, non sit quiddam exterritum, sed sit quiddam, quod ad substantiam hominis accessit, ut Paulus loquitur, peccatum intravit (audi, intravit) in omnes homines: item, quod aliquando eximetur ex hominibus vicissim: Nam peccato in vniuersum ablatio atq; delecto, hæc nostra substantia, quam modò circumferimus, in æternum durabit, Deoq; suo creatori, ornata imagine Dei, serviet: Hæc non ex Logica discuntur, sed à λόγῳ illo, de quo Ioh. i. dicitur: *In principio erat λόγος.* Item: *Vnigenitus, qui est in fina Patris, ipse nobis enarravit.*

83.

Quicquid plenè & perfectè scire, vel intellectu percipere non possumus, id non est dicendum accidens.

Sed doctrinam de peccato originis plenè & perfectè scire, vel intellectu percipere non possumus.

Ergò, peccatum originis non est dicendum accidens.

Respondeo: Est fallacia secundūm non causam vt causam. Maior falsa est; Nemo plenè in-

L

reelligere potest, quid sit amor, quid odium, quid malitia, & tamen licet dicere, esse accidentia in homine, & non esse ipsam hominis substantiam. Quis potest intelligere vel explicare, quid sit sermo, qui in illa concavitate oris formatur. Et tamen non est peccatum, dicere, orationem illam articulatam, atq. animi sensu pingentem, esse accidens hominis, non esse ipsam lingnam aut palati substantiam. Deinde, quæ nos verbum Dei docet, ea notis & in docendo visitatis vocabulis exprimere licet; sed verbum Dei docet, peccatum non esse conditum à Deo. Item: Peccatum intrasse in homines. Item: Peccatum auferendum esse breui in resurrectione penitus ex substantia & natura hominis. Ergo non est impietas, dicere, peccatum non esse ipsam hominis substantiam. Item, peccatum esse accidens. Item, corruptionem illam horrendam saltem cogitatione iam discernendam esse à substantia hominis, donec in uniuersum à Deo excindatur. Proinde, negare, peccatum originis esse accidens, est negare hæc Theologica & summa principia, peccatum intrasse in omnes homines. Item, peccatum non esse à Deo. Iacet igitur & iste aries, & stant muri domini in concusſi.

84.

Si peccatum originis est accidens, damnatura doctrina, qua docetur, non solum accidentia & potentias corruptas, sed etiam ipsam essentiam & substantiam hominis.

Sed

*Sed ea doctrina non est damnanda.
Ergo, peccatum originis non est accidens.*

Respondeo: Est fallacia secundum non causam. Maior enim falsissima est. Ratio, quia nullam prorsus habet connexionem, utraque enim subsistunt, & peccatum originis esse accidens, &, non solum accidentia, sed etiam ipsam substantiam hominis esse corruptam: Vtrumque enim ex verbo Dei asseueramus & profitemur. Causa est, quia de accidente illo, nempe de peccato originis, ex sacris literis docemus non tantum cutem coloratam, aut allium quasi magneti illitum, sed peccatum originis totam hominis naturam intrasse (quo verbo Paulus vitetur) peruersisse, occupasse, depravasse. Si quis verò secus assertat illud accidens lethiferum, is contra scripturam sacram sentit. Facile autem animaduertitur, eos, qui tantoper abominantur hanc locutionem, peccatum esse accidens, ponere nimis leuem, immo falsum quoque intellectum, vocabuli accidentis. Ex hac enim scaturigine ipsis quasi regurgitant eiusmodi obiectiones. Itaque ex superioribus propriam eius vocabuli explicationem hauriant.

85.

Corruptio in forma essentiali hominis non potest dici accidens.

Peccatum originis est corruptio in forma essentiali hominis.

Ergo, peccatum originis non est accidens.

Respondeo: Maior falsissima est, pugnans cum verbo Dei, & omnium sanorum iudicio. Nam corruptio est quiddam accedens ad substantiam, quacunque tandem ratione, siue ab intra, siue ab extra; eamque substantiam vitians aut deprauans. Minor etiam etidentius probat, *essentiam & corruptionem eius, diversa esse, licet nunc in unam massam coaduerint.* Deus tantum ista discernit in verbo suo, ut exposuimus suprà, & intellectu seu cogitatione distingui à nobis debent. Praeterea attendant hic omnes pīj: Auferunt illi hanc vetam locutionem, *peccatum originis esse accidens*, oppositam nimirum illi falsae propositioni, *peccatum originis esse substantiam*, quia inquitur, esse Logica vocabula: aei-psi hanc perplexam & ambiguam locutionem subinde iterant de forma essentiali. Quoverò id iure factitant, dum alijs leges dictant, de non usurpandis Logicis vocabulis?

Evidem constat, hanc phrasin (*forma essentialis*) interdum de substantia per se accipi, interdum vero de accidentibus. Item, de proprietatibus. Forma essentialis hominis est corpus & anima, miranda ratione à Deo in via ius sui copulata. Corruptio vero, seu, peccatum originis, est deformitas eius essentiæ, id est, corporis & animæ; nec est aliud indiuiduum. Item, proprietates in essentia hominis mutatae sunt, non ipsa substantia per se, quæ est æterna, etiam post corporis mortem.

Qui

86.

Qui affirmant, peccatum originis esse accidentis, statuunt liberum arbitrium.

Sed hoc non est statuendum.

Ergo, peccatum non est accidentis.

Respondeo: Maior est quasi pronunciatio, sine neruis probationis. Ideo vana & falsa est: Oritur autem ista licentiosa pronunciatio ex ignorantia seu prauo intellectu vocis *accidentis*, qua de re supra. Atrocia autem pronunciata condonanda sunt vehementibus, donec se colligant iterum homines & veritatem sedatis animis inquirant & discant.

87.

Res singulares non debent accidens dici.

Peccatum originis est res singularis, teste Luther.

Ergo, &c.

Respondeo: Quænam isthæc vel argumentatio vel cohærentia est? Siccine decet bonis dictis abuti ad oppugnandas res & locutiones veras. Maior autem non est vera, quia non est vniuersalis, & est indistincta. Deinde sententia Lutheri verissima est, sed applicatio argumentationis est violenta. *Omnino enim peccatum originis est res singularis, hoc est, tale malum in homine est, cuius magnitudo, turpitude, damna, à nullo homine satis intelligi aut explicari possunt.* Sed ea tantum, quæ in lacris literis traduntur auxilio Spiritus sancti, & discenda, & consideranda, & docenda sunt. Non autem inde sequitur; Er-

L 3

gò, peccatum non est accidens. Item, non sequitur: Ergò, non est secernendum opus Dei & opus Diaboli. Item, non sequitur: Ergò, non sunt distinguenda substantia hominis & malum originis, quod in ea est.

88.

Quicquid est singulare in Theologia, id non est trahendum ad Logicas & Physicas regulas.

Peccatum originis est res singularis in Theologia, teste Luthero.

Ergò, &c.

Respondeo: Maior distinguenda est: *Aliud est, res ipsas ex Logicis & Physicis rebus sumere, easq; Theologicis regulis, ignotis rationi humana, miscere. Aliud vero est, in docendo atque discendo uti Logicis aut Physicis vocabulis, non pugnantibus cum regulis Theologicis.* Iam, quod attinet ad doctrinam, & cognitionem, & considerationem peccati originis, res ipsæ tantum ex Theologia, hoc est, scriptis Biblicis sunt petendæ, verum vocabula, quorum in docendo usus est, fas est ex artibus usurpare, modò à rebus ipsis non sint aliena. Item, quis vetabit, ordinis metas, præscriptas in Logica, sequi, & iuxta eas res diuinæ tradere atque explicare? Nam ista admicula, quæ Deus naturæ humanæ inseuit, non sunt fastidienda; ac sunt omnino artes, si recte tractentur, præclara Dei dona, quæ magnum in vita humana usum habent.

Vis

89.

Visilla, potentia aut natura, qua in rationali hominis vita regnat, obiecta & actiones distinguit, ac efficit affectus & actiones, ea est essentia seu substantia.

Sed originis peccatum agit aut efficit ista omnia.

Rom. 6. 7.

Ergò, originis peccatum est quadam essentia aut substantia in homine.

Respondeo: Maior tantum est de anima hominis vera, si huic Minor applicetur, nimirum: *Animæ est illa vis intelligens, discernens res, tunc conclusio quoque vera sequitur. Ergò, anima est substantia. Si vero Minor intelligatur de peccato originis, quasi id omnia efficiat, quæ in Maiore ponuntur, est falsissima.*

90.

Ilyricus non potest Manicheismi accusari; Nam Manichæi ideo tantum damnati sunt, quod finxerint principium mali coeternum bono Deo, & quod peccati originem deduxerint ex ipsa mox creatione.

Respondeo: Nihil valet hæc conclusio. Augustinus enim utrumq; Manichæis tribuit contra Julian. lib. I. cap. 3. vbi ait: *Non satis resistimus Manichæis, nisi obtineamus, non esse mala orta, nisi ex bonis, nec ea mala substantias esse, sed substantiarum vitia creatarum, quibus deficiunt a bono. Hec est Catholice doctrine sanitas, qua Manicheæ pestilentia virus expellitur.* Hæc Augustinus.

PROBATIONES EVIDENTES, IL-
lyricum esse Manicheum.

1. Manichæi docuerunt, peccatum hominis esse substantiam, ut Augustinus in multis locis testatur; ut contra Secundinum Manichæ. cap. 12. *Certè omnis inter nos discrecio est, quod vos substantiam esse quandam malum dicitis. Nos vero non substantiam, sed inclinationem.*

Illyricus verò docet, peccatum esse substantiam; omnes enim suos libros edidit toto decennio in lucem, ob hanc causam, & eos inscripti de essentia peccati: Item, in demonstrationibus fol. 312. ponuntur hæc verba: *Methodica probatio propositionis, quod peccatum originis sit substantia.*

2. Dicunt Manichæi, substantiam istam, seu carnalem concupiscentiam, non Dei, sed male mentis seu spiritus esse opus; hæc enim sunt verba Augustini, in lib. ad Quod uult deum. Tom. 6. fol. 6.

Illyricus simili modo dicit peccati originalis, quod ille ipsum hominem seu animam appellat, esse creatorem Sathanam; ut in Demon. fol. 365. *Totus hic pessimus Adam est opus Diaboli.* Item in confessione fol. 319. hæc verba ponit: *Prae rationalis natura, aut creatura, quæ vocatur peccatum originis, est à Diabolo condita: alia loca iam omissio.*

3. Manichæi docuerunt, ipsam carnem, seu ipsam hominum naturam esse inimicam Deo, ut Hieronymus testatur, ratione sua essentia, seu

pro-

proper substantiam sui, in prolog. Dialogorum, aduersus Pelag. *Manichæorum est hominum damnare naturam.* Item super 8. caput ad Rom. idem testatur, inquiens: *Non ipsa natura, ut Manichæi dicunt, sed sensus carnalis inimicus est Deo.* Illyricus verò in multis locis dicit, ipsam carnem pugnare cum Deo, per se; vide confess. fol. 113. vbi affirmat, *carnem concupiscentem, quo ad ipsam pessimam formam aut essentiam hominis, esse vere peccatum.*

4. Manichæi docent, ut Augustinus testatur, Tomo 6. fol. 6. peccatum esse substantiam, quæ sua natura immortaliter vivat: Idem docet Illyricus in Confess. fol. 383. *Vbi orat Deum, ut in se transformet imaginem terreni Adami & Sathanæ, quam a suo carnali patre accepit, in illam suam Spiritualem imaginem celestis Adami.* Item fol. 162. idem asserit, quod peccatum in eternum vivet, seu in iustitiam mutabitur, ut Irenæus & Spangenb. loquuntur,

5. Manichæi docent duas esse distinctas substancias in homine renato; & apud Paulum duos homines, *veterem & novum*, Rom. 7. significare, duas diuersas species, vide Aug. lib. 6. contra Faustum Manichæum,

Illyricus verò eandem sententiam, & eadem verba Manichæorum usurpat, ut in Confess. sua, fol. 188. vbi disertè dicit, *in uno eodemq[ue] renato esse duos diuersissimos homines.* Item, *veterem & novum hominem apud Paulum significare duas substantiales formas in uno subiecto.*

6. Manichæi negârunt peccatum originis seu concupiscentiâ esse accidens malum, vt Augustinus testatur Tom. 7. contra duas epistolas ad Bonifacium: vbi inquit; *Manichæi carnis concupiscentiam, nō tamquam accidens vitium, sed tamquam naturam ab aeternitate malam vituperant.*

Illyricus verò similiter in Confess. sua, & aliis scriptis, negat peccatum originis esse accidens vitium, & dicit illos grauissimè errare, qui dicunt esse accidens.

91.

*Illyricus non fingit duo principia ab aeterno.
Ergo, non est Manichæus.*

Respondeo à particulati ad vniuersale non valet consequentia. Non enim sequitur, *Illyricus bunc vel illum errorem Manichaorum non docuit: Ergo, nullum Manichaorum errorem approbavit.* Deinde nos non obiicimus omnia deliramenta Manichaorum Illyrico: Manichæus docuit, animas redire in corpora brutorum animalium. Hoc non obiicimus Illyrico, sed nihilominus alios errores, quos cõmunes habet cum Manichaëis, rectè ei obiicimus.

De furiosis eruditorum sententia est: anima in ipsis præter contristatione nihil pati, sed turbari in cerebro Spiritus, & *negor*, quibus ad organicas actiones suas in corpore anima vtitur. Vnde medicus curationem ad ista dirigit. Quod si patitur aliquid anima, medicus ei mederi nequit, cum sit *anomalous*.

Ex hac commemoratione appetet, Illyricum meritò

DE SECTA MANICHAORVM. 157

meritò dicendum esse Manichæum, etiamsi nō omnes Manichaorum furores defendat. Non enim necesse est, in omnibus cum aliquo Hæsiarcha conuenire.

92.

*Peccatum originis non satis potest exaggerari.
Ergo, Illyricus non est damnandus propter suam propositionem.*

Respondeo: Corruptelis non rectè resistitur singendas nouis erroribus. Et satis exaggeratur magnitudo peccati originalis, si & sentiamus & loquamur cum Scriptura, & vltitatem receptam que in nostris Ecclesiis doctrinæ formam retineamus. Nec opus est falsis opinionibus, & nouis verborum portentis, ad veram peccati exaggerationem. Nec sunt facienda mala, vt eueniant bona.

93.

Quicquid Scriptura de ipsam substantia pronunciat, non est aliquibus eius accidentibus tribuendum.

Sed in Gen. dicitur ipsum hominem, non aliqua eius accidentia, creatum esse ad imaginem Dei.

Ergo, *Imago Dei* seu iustitia originalis fuit ipsam animæ rationalis essentia ante lapsum.

Respondeo: Nego consequentiam, quia non sequitur ex illa phrasí, *hominem esse conditum ad imaginem Dei*, animam rationalem fuisse ipsam imaginem. Nam ipse textus diuersum

158. D. CVNRAD. SCHLYSSER.
ostendit. Vox enim *homo* certe substantiam significat. Deinde addit Moyses descriptionem, scilicet, *quod sit creatura Dei condita ad imaginem Dei*. Ideoque ista verba, *ad imaginem Dei*, non ad quæstionem *Quid*, sed *Quale*, ut Dialectici loquuntur, pertinent, seu docent, qualis Dei creatura sit homo, nimirum conditus ad imaginem Dei: hoc est, ut Paulus ad Ephes. 4. explicat, *creatus in sanctitate iustitia & beatitudine, legi Dei conformis?*

94.

Quando in duobus locis Scriptura sacra planè eadem est forma loquendi, tum necesse est utrobiq; idem significari.

Sed Moyses, Gen. 1. & 5. plane eadem forma loquendi utitur.

Ergo, necesse est in ipsis locis, eandem esse verborum significationem. Hinc porrò sequitur. Gen. 5. necesse est, ipsa phras, ad imaginem, intelligi ipsam essentiam Seth, & non tantum aliqua eius accidentia. Ergo locus, Gen. 1. etiam de essentia accipiens est.

Respondeo ad Maiorem, quod sit vera, ceteris paribus, hoc est, si sit subiectum idem, & idem prædicatum, & non insint eis diuersi respectus. Minorem itaq; nego, quia sunt diuersa subiecta, *Deus & Adam*; deinde diuersa prædicata, *creavit & genuit*. Nam *creare*, ut Gen. 1. accipitur, est aliud, seu diuersum, aut speciei disparatae essentiam producere: *gignere* verò est simile, vel suæ speciei aut naturæ individuum producere.

Deinde

DE SECTA MANICHÆORVM. 159
Deinde creatio fieri potest ex nihilo, sed pro-creatio fit ex materia similis naturæ, sed Deus ex sua essentia non decerpit portiunculam, quam Adæ infuderit, sicut ex semine Adæ producta est essentia Seth. Præterea certissimum est, quod Adam non propagarit imaginem Dei in Seth. Fuit igitur imago Dei aliquid separabile à substantia anime & corporis Adæ. Si verò anima rationalis est idem, quod imago Dei, & imago Dei non est propagata in Ade posteros: Ergo illi sunt sine anima, &c.

95.

Mors non est accidentium alteratio, sed substantia ipsius interitus seu corruptio.

Interitus imaginis Dei dicitur mors.

Ergo, initio imago Dei aut iustitia originalis fuit ipsamet integra sanâ, essentia anima rationalis.

Respondeo: Sunt scopæ dissolutæ. Nam ita debebat conclusio inferri. Ergo interitus imaginis Dei non est accidentium alteratio, sed substantia ipsius interitus & corruptio. Deinde mors nihil aliud est, quam pena, sed pena est accidens, sic & corruptio, siue accidentium, siue substantia, est accidens.

96.

Regeneratio, creatio, vinificatio & resuscitatio, sunt verba substantialia.

Restitutio illius primæ imaginis amissa, dicitur regeneratio, vinificatio, & resuscitatio.

Ergo, hac denotant ipsius substantia reparacionem.

Respondeo: Illyricus confundit articulos nostræ fidei. Nam creatio nouæ substantiæ pertinet ad primum articulum symboli. Sed regeneration & resuscitatio ad tertium. Deinde hæc verba *regeneratio, resuscitatio, reparatio*, necessariò præsupponunt materiam prius genitam, mortuam, amissam: Si igitur illa verba debeant substantialiter & physicè sumi, de restitutione primæ imaginis, non erit dicenda primæ restitutio, sed nouæ creatio. Et iuxta hanc sententiam nos in resuscitatione non habituri sumus hæc essentiæ nostri corporis & animæ, quam nunc habemus, sed Deus creabit nobis aliam, quod tam verbum Dei non testatur. Vel respondeo breuiter hoc modo; Non de Physica & naturali regeneratione intelligitur illa verba, sed de spirituali renascentia, qua ex impiis hominibus sunt homines pii & sancti.

O B J E C T I O.

Dauid ait, *Cor mundum in me crea.*

Respondeo: Est fallacia diuisionis & compositionis. Nam addit per epexesin, quid intellegat per vocem *creare*, videlicet innovationem Spiritus recti in visceribus, sicut dicit: *Et Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

97.

Destructa imago est substantia rei in summo gradu.

In.

In tristi ruina hominis ipsamet substantia hominis est destrœcta.

Ergo, illa destrœcta imago fuit substantia hominis in summo gradu, animarationalis.

Respondeo: Maior est falsa. Nam demolitio vel ruina domus non est substantia eius optima, sed potius passio, seu ordinis & formæ, quæ substantiæ, quibus domus constabat, prius habebat interitus & amissio. Nec recte & vere dicitur: quod, prima forma domus fuerit aliquid essentiale. Est igitur fallacia accidentis.

98.

Verbum transformatio omnino de substantia non de accidentium mutatione dicitur.

Sed nos dicimur ex hac presenti imagine transformari in istam nouam, qua est illa ipsa prima imago aut forma.

Ergo, *Prima imago fuit ipsamet essentia rationalis anime.*

Respondeo: Maior est falsa. Nam verbum transformari, siue μεταμορφώσω, non semper significat talem substantialē mutationem, in qua prior substantia aboleatur, noua & alia substituta. Certè quum Christus dicitur, *Matth. 17. transformatus, ut Euangelista loquitur, ibi non est ita transformata illius substantia, ut priorem amiserit, & penitus assumptam ferat aliam.*

Deinde in regeneratione retinemus eandem animam & idem corpus; In nouissimo etiam die in eadem hac anima & corpore resurreximus.

99:

Quicquid pugnat cum lege Dei est peccatum: Ipsa substantia hominis pugnat cum lege Dei. Ergo, Ipsa substantia est peccatum.

Respondeo: Nego Minorem. Non enim ipsa substantia, quatenus substantia & cōdita est, pugnat cum lege Dei: ipsum esse nō est malum, sed quatenus est corrupta & mala, eatenus pugnat cum lege, ipsa ergo malitia contrafia est legi, non ipsum esse. Hanc responsonem confirmat Augustinus contra Julian. lib. i. vbiait: *Nulla natura, in quantum natura est, malum est, &c.*

100.

Paulus ad Hebraos loquitur de renatis, quinque peccatum vocat: vterreisulor uariav.

Ergo, non pugnat dictum illud cum Illyrici dogmate.

Respondeo: Hoc sophisma nullius est monumenti, peccatum enim originis eiusdem generis est, siue in impiis, siue in pii existat. Hoc tātūm interest, quod impios tener obnoxios irē & maledictioni, in pii verò est condonatum peccatum.

101.

Scriptura dicit, hominem habere duas animas; quia Paulus in conuerso ponit duos homines inter se pugnantes, veterem & nouum:

Ergo, non debet Illyricus eam ob causam condemnari.

Respondeo cum Lutheru: Tom. i. germ. Ien. fol.

DE SECTA MANICHÆORVM. 163

fol. 463. Item super s. cap. ad Gal. Hæc distinctio, quahomo diuiditur in veterem & nouum hominem, non respicit naturam seu substantiam, sed proprietates naturæ: Est enim unus & idem homo qui vetus dicitur, quatenus legem Dei odiit; nouus, quatenus legem Dei diligit: Præterea prædicata veteris & noui hominis, non possunt dici de substantia, quia nos non possumus induere nouam substantiam, aut exuere veterem, cum tamen Paulus iubeat, veterem exuere, & nouum induere. Paulus disertè dicit, Rom. 7. *Igitur idem ego Paulus mente seruo legi Dei, carne legi peccati;* hic Paulus non facit diuersos homines in se.

102.

Nullus vetus Adam resurget ad gloriam.

Homo conuersus resurget ad gloriam.

Ergo, homo non est vetus Adam.

Respondeo: Sunt quatuor termini in Syllogismo, quia in Maiori non significat vetus homo substantiam, sed hominis vetustatem, prauitatem, defectum, &c. quæ sanè omnia non resurgent, quia expurgabuntur substantiae ab omni peccato: Si de ipsa Substantia intelligatur Major, quod ipsa non debeat resurgere, falsa est. In Minore verò homo significat ipsam substantiam: nullum ergo hoc argumentum habet rotur.

103.

Deus propagat & conservat totum hominem.

M

cum omnibus suis substantiis & accidentibus in utero matris, non Sathan.

Ergo, Deus sustentat & propagat peccatum.

Respondeo: Maior est falsa, accidentia enim in homine complura sunt, alia bona, alia mala. Bona accidentia sunt notitiae naturales, squalidus, calor in corpore, color, appetitiones naturales, quorum accidentium Deus est author. Mala accidentia sunt caligo, cæcitas mentis, ignorantia Dei, defectus iustitiae, malitia, prauitas, & alia multa: Horum certè malorum accidentium nō creator, author, nec conseruator est Deus, Ergo Illyrici Maior est falsissima. Nam Oseas dicit. cap. 13. *Perditio tua ex te Israhel, in me tantum salus tua.* Et Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.*

104.

Christus adsumpsit præsentem hominis substantiam.

Christus non assumpit veterem Adamum.

Ergo, Substantia hominis non est vetus Adam.

Respondeo: Nego consequentiam. Quia si fallacia æquiuocationis in phrasí, *vetus Adam.* In Minorem vetus Adam significat vetustatem, corruptionem, malitiam, concupiscentiam, seu peccatum originis, hanc veritatem non assumpit Christus. In conclusione autem vetus Adam, significat cùm subiectum, cùm prauitate, & vetustatem in subiecto, atq; ita sunt quatuor termini.

Adam

105.

Adam habuit hanc ipsam substantiam anime corporis.

Sed non habuit veterem Adamum, carnem consupicentem & cor lapidum.

Igitur hæc substantia corporis & animæ, non est vetus Adam, caro concupiscentia & cor lapideum, sed tantum merum quoddam vultile accidens.

Respondeo: Maiorem concedo; eadem enim fuit substantia corporis & animæ Adami, & eiusdem speciei, ante & post lapsum, licet ante lapsum integra & munda, post lapsum corrupta & polluta fuerit. Minor etiam vera est, sed Illyricus suo modo ludit in vocabulis: *vetus Adam, caro concupiscentia, cor lapidatum:* aliás enim significat subiectum, cum ipsa inhærente prauitate & corruptione: aliás significant prauitatem & defectum iustitiae. Si igitur Minorem intelligas de ipsa substantia, est falsa, si de virtuio inhærente, vera est.

106.

Cui grauiora tribuit Spiritus sanctus, eidem & necessariò leuiora seu minorata tribuit.

Sed Spiritus sanctus tribuit homini atrocissima queque nomina, longè simplicem vocem peccati superantia.

Ergo, Non impie dicitur peccatum esse substantia.

Respondeo: Nego consequentiam, quia Maior falsa est: Nam ex verbo Dei non evincitur hæc consecutio, vt, cui grauiora tribuat Spiritus sanctus, eidē necessariò minora tribuat: vt, adul-

terium seu scortatio, est circa dubitationem, minus peccatum, quam Idolatria. Sed Spiritus sanctus obiicit Aaroni Idololatriam. Ergo, secundum hanc Illyrici Dialecticam, verè scortatio carinalis obiici potest Aaroni. Item: Furtum minus peccatum est, quam abnegatio Iesu Christi: Sed Spiritus sanctus accusat Petrum de abnegato Christo. Ergo, defarto, secundum hanc Illyrici Mationem Petrum accusat. Minor etiam neganda est. Nam illa nomina non superant significationem vocis peccati, quia cum hostibus & inimicis suis Deus reddit in gratiam, cum peccato vero in omnem aeternitatem non concordabitur. Et volentes loqui de magnitudine peccati, ut amur verbis Spiritus sancti, non desumptis ex nostra ratione.

107.

Quicquid Deus precipue accusat, id est peccatum originis.

Sed Deus precipue accusat animam, mentem, &c.

Ergo, Cor, anima, &c substantia hominis est ipsum peccatum originis.

Respondeo: Ab eo quod inest per se ad aliud, quod per accidens accedit, non est bona consequentia. Maior per se vera est, sed Minor tantum per accidens, per se enim Deus non irascitur, non accusat, non damnat substantiam hominis, nec animam nec corporis, agnoscit enim creaturam suam: per accidens autem, propter labem originis, quam creaturæ Dei aspersit Sathan, Deus accu-

DE SECTA MANICHÆORVM. 167
accusat & damnat etiam ipsam substantiam corporis & animæ, quod si peccatum originis est, expurgatum, Deus recipit substantiam in gratiam.

108.

Defectus in definitione peccati originis opponitur bona substantia: Ergo id, quod defectus, fuit substantia. Amissa autem iustitia originali, successit iniustitia.

Ergo, & iniustitia est essentia.

Respondeo: Defectus opponitur substantiæ, non quod peccati contrarium, iustitia, sit substantia, sed quod ipse defectus non sit quiddam positivum seu res subsistens, sed tantum priuatio rei, que debebat adesse, videlicet iustitie, que est accidens.

109.

Quicquid gignit præpotentes actiones, nempè actualia peccata omnia, non potest esse priuatio tantum: sed & positivum quiddam, nec est tantum accidens, sed substantia, à qua proprie oririuntur actiones.

Sed peccatum originis gignit actiones præpotentes, sen peccata actualia,

Ergo, peccatum originis non est tantum priuatio, sed & quiddam positivum, nec tantum accidens, sed multo magis substantia.

Respondeo: Nego consequentiam, & ratio est, quia sunt quatuor termini, Maior enim de alio genere efficientis causa loquitur, de alio genere Minor. Maior loquitur de tali causa effici-

ente, quæ propriè sit fons actionis, & quæ agat & operetur per qualitates, ut de causa substantiali, seu de ipsa substâlia, ut *Substantia mētis gignit errore, substâlia voluntatis gignit odîum Dei, substâlia cordis, gignit prauas cogitationes, cades & adulteria; Et purum calidum gignit biliosum temperamentum*. Minor verò loquitur de alio genere causarum, videlicet de instrumentalí, quia substâlia per qualitates agant, peccatum originis gignit quidem actualia peccata, motus internos & externos prauos, verum non ut substâlia quedam intelligens, volens, deliberans, nō enim est persona peccatū, sed qualitas praua: Cum ergo Maior loquatur de alio genere causarum efficientium, de alio genere Minor, argumentū corruit. Si verò contendas Maiorem esse vniuersalem de omni genere causarum, falsissimum est.

110.

Fons fontium peccatorum, est peccatum originis.

Sed cor est fons fontium peccatorum.

Ergò, Cor est peccatum originis.

Respondeo: Ex puris particularibus, nihil sequitur. Si autem dicis esse vniuersalem, falsissimum est. Non enim omne quod dicitur fons peccatorum actualium, est peccatum originis. Nam & cor, mens & voluntas, quæ non sunt ipsum peccatum originis, sed sunt substâlia condita à Deo, sunt fons, causa & origo peccatorū actualium; Corruit ergo hoc stramineū argumentum Illyrici, quod aliâs Achillæū vocat.

Illud

III.

Illud est originalis iustitia, unde Scriptura tanquam ex vero fonte omnes bonos motus deriuat. & exigit.

Sed Scriptura ex anima & corde deriuat. & exigit veram dilectionem.

Ergò, Anima & cor fuerunt iustitia originalis.

Respondeo: Ex puris particularibus, &c. Nam Maior non est vniuersalis. Non enim omne id, ex quo lex exigit dilectionem Dei, est iustitia originalis. Nam exigit lex, *Dei dilectionem ex anima, mente, voluntate, viribus, & tamen hæc omnia non sunt ipsa iustitia originalis, quia ipsa iustitia originalis fuit lux in mēte, agnoscens Deū, rectitudo in voluntate, & integritas seu sanctitas in corde, teste Paulo, Ephes. 4. Homo per lapsum amisit totam iustitiam originalem: substâliam autem mentis, voluntatis & cordis non amisit, licet sint penitus deformata, vulnerata, &c. Ergo mens, voluntas & cor non fuerunt nec sunt iustitia originalis. Lex exigit integratem naturam, sed non dicit ipsam naturam esse iustitiam.*

112.

Si vetus homo latius patet, quam peccatum originis. Ergò, & peccatum originis complectitur.

Ergò, & vetus homo est peccatum originis.

Respondeo: Sunt quatuor termini, quia vetus homo, quo ad subiectū significat substâliam, sed peccatum originis est homo vetus, scil. quo ad

eius qualitates, prauitatem & corruptionem: cum ergo in Maiore dicatur de substantia, in Minore de qualitate, nihil valet consequentia. Præterea est inepta argumentatio: *vetus homo complectitur peccatum originis*: Ergò peccatum originis est ipse *vetus homo*. Quomodo enim sequitur, genus complectitur speciem, ergo est ipsa species. Vocabulum *auis* complectitur passerem. Ergo, *auis* est ipse *passer*. Item Collegium complectitur & dominum opponentem & scamnum in quo sedet. Ergo Collegium & *scamnum* est *opponens*.

II3.

Duo tantum sunt partes hominis, corpus & anima.

Ergo, vel alterutrum horum, vel utrumq[ue] fuit imago Dei.

Respondeo: Negatur consequentia. Nulla enim connexio est in hoc argumento, quia nec corpus nec anima fuit imago Dei, quoad substantiam. Nam imago Dei amissa est per lapisum, sed substantiam animæ & corporis retinuit Adam etiam post lapisum. Ergo ipsa substantia corporis & animæ non fuit imago Dei,

II4.

Augustinus negat peccatum originis esse malum peregrinum.

Ergo, non facit cum illis, qui defendunt accidens.

Respondeo: Negat Augustinus peccatum, tanquam substantiam malam, ab eternitate existente,

acces-

accessisse ad bonam substantiam hominis, sicuti fingeant Manichæi, *peccatum ut substantiam malam, misceri substantie bona*. Non autem negat Augustinus peccatum tanquam accidentis vi- tium, accessisse ad naturam bonam, & eam corrupisse. Ad Bonifacium lib. 2. cap. 2. citat & probat dictum ex Basilio. *Sicut autem accessit malum, & principium accessionis, non substantiam habuit, sed voluntatem, facile potest malum à substantia separari*. Hisce verbis disertè Illyrici error damnatur.

II5.

Semen Dei, est imago Dei, & nouus homo, qui est substantia.

Ergo, & semen Diaboli, & imago Sathanæ in impijs est substantia.

Respondeo: Semen Dei in pijs, non significat ipsam hominis substantiam, animæ vel corporis: alioquin & impij essent semen Dei, sed significat nouam lucem, agnoscendem Deum, sapientiam, iustitiam, veritatem, dilectionem, & similes motus in corde & anima, congruentes cum lege Dei; & accensos à Spiritu sancto. Sic Paulus nominat *fructus Spiritus*. Gal. 5. 1. Ioh. 3. nominat *Spiritus sanctus semen Dei*; Sic & imago Dei non significat ipsam substantiam animæ vel corporis, sed lucem, sapientiam, iustitiam, rectitudinem, integratatem, libertatem. Nouus homo simul & subiectum complectitur, videlicet, substantiam animæ, & motus in subiecto accensos à Spiritu sancto. Dicitur autem

nouus homo, non quod nouam substantiam acquisierit, sed quod nouis proprietatibus prior substantia à Spiritu sancto ornata sit. Antecedens igitur est falsum, sic & consequens est falsissimum. Impij non dicuntur semen Sathanæ ratione substantiæ. Nam corporis & animæ substantia, in quois etiam impio, est donum Dei; sed malitia, impietas, blasphemia, & omnis generis peccata, sunt semen Sathanæ.

116.

Natura intelligens, eligens, volens, scientia prædita, deliberans, ordine agens, & imperans, non est merum accidens, sed est substantia.

Sed peccatum originis est quadam natura, & vis intelligens, eligens, volens, scientia militandi prædita, & cum deliberatione & ordine agens.

Ergo, peccatum originis est substantia. Minor probatur ex 6. & 7. cap. Rom.

Respondeo: Mutato genere prædicationis, non valet consequentia: Est autem Metaphora, quod Paulus id, quod proprium est rei anima & intelligentis, tribuit rei inanimæ. Non enim peccatum originis est natura intelligens; Ergo non possunt ei opera intelligentis naturæ tribui. Quia autem peccatum originis est pestis sequior, quam ut humana vi superari possit, & uniuscum genus humanum demergit in mortem, eleganti metaphora vel prosopopæia Spiritus sanctus dicit, peccatum regnare, & tyrannidem horrendam exercere. Non autem peccatum originis esse naturam intelligentem, hoc argu-

mento

mento probatur: *Omnis natura intelligens & finita, est res condita à Deo. Peccatum originis non est à Deo, sed à Sathanæ. Ergo, nequaquam est res intelligens.*

117.

Quæ proprijs conueniunt, illa sunt re ipsa idem.

Sed caro, vetus Adam, peccatum originis conueniunt proprijs.

Ergo, sunt re ipsa idem.

Respondeo: Et Maior & Minor sunt falsæ. Nam non statim, quæ aliquot proprijs conueniunt, sunt re ipsa idem, vt Saul, & Dauid multis proprijs conueniunt, vterque est creatura Dei, vterque habet corpus & animam, vterque est rex, vterque est fortis bellator, hæc & similia multa vtrique competit, & tamen non sequitur inde: Ergo Saul & Dauid sunt re ipsa idem. Præterea caro & peccatum originis non conueniunt proprijs: Caro enim est substantia corporis & animæ: peccatum originis non est substantia, sed accidens vitium; caro est creatura Dei, sed peccatum est opus Sathanæ. Deus venit in mundū, ad liberandam carnem, ad peccatum vero non ire: Caro purgata à peccato vivet in eternum: sed peccatum ablijetur in profundum maris.

118.

Quicquid displaceat Deo, quicquid est sine notitia Dei, quicquid est sine fide, id vere est pecca-

tus.

*Sed essentia hominis corruptissima displicet Deo,
Et si sine fide.*

Ergo, essentia hominis verè est peccatum.

Repondeo: Maior est falsa. Non enim omne, quod displicet Deo, est ipsum peccatum. Nam & peccator, in quo hæret peccatum, & qui committit peccatum, displicet Deo, & meretur iram Dei. Et tamen ipse peccator non est peccatum originis. Item Manasses idolatra, displicet Deo propter idolatriam, & alia peccata, sed tamen Manasses non est ipsa idolatria, nec est ipsum peccatum originis. Sic vitulus aureus displicet Deo, & tamen aurum non erat ipsa idolatria, sed illa hærebat in animo Israëlitarum. Nec hoc verum est, ut quicquid careat notitia Dei & fidei, sit peccatum: vacca, bos, canis, mensa, scamnum, &c. carent notitia Dei & fidei, imo & mente carent, & tamen ea non sunt ipsum peccatum.

119.

Quicquid est opus Diaboli, & à filio Dei destruitur, id verè est peccatum.

Sed caro, cor, corpus peccati, anima, terrenus Adam, sunt opus Diaboli, & destruuntur à filio Dei.

Ergo, cor, caro, vetus Adam, anima, sunt ipsum peccatum originis.

Respondeo: Et Maior & Minor est falsa. Non enim omne, quod destruit filius Dei, est peccatum originis; plura enim sunt opera, ad quæ destruenda filius Dei apparuit: Christus etiam destruit mortem ipsam, atq; etiam omnis gene-

DE SECTA MANICHÆORVM. 175

generis morbos corporis, febrem, pestem, hydrozem, podagram, & omnis generis morbos, qui omnes sunt opera Sathanæ, & tamen non sunt ipsum peccatum originis, licet proueniant ex peccato. In Minore sunt multiplices blasphemias, ideoq; toleranda non est. Cor, anima, mens, corpus, caro, vetus Adam, quoad substantiam; non sunt opus Diaboli, vt mentitur Illyricus: sed sunt opus & creatura Dei omnipotentis. Nec filius Dei venit, vt destruat, sed vt sanet, non vt deleat, sed vt renouet corpus, non vt perdat substantiam Adæ, sed vt ornet; non vt abiciat, sed vt saluet animam. Discernenda sunt opera Dei & opera Satanæ: Peccatum, mortem, morbos destruit filius Dei, sed corpus, animam, cor, mentem, voluntatem, vt Dei opera, per Sathanam vitiata, restituit, sanat, reparat, renouat, reficit, saluat, & in vitam beatam transfert filius Dei. Sicut Christus ait: *Filius hominis non venit, ut perdat animas hominum, sed vt saluet.*

120.

Illa vis aut natura, qua in homine regnat, distinguunt obiecta & actiones, aliaq; eligit & appetit, alia refugit, &c. est quadam essentia.

Sed peccatum originis est natura intelligens, regnans in homine, distinguens obiecta & actiones, alia eligens, alia refugiens.

Ergo, peccatum originis est essentia.

Respondeo: Minor est falsa, & blasphemia Sathanæ, quia peccatum non est natura intelligi-

gens & deliberans, distinguens obiecta, sed est vitium, defectus, & prauitas, nihil ergò hoc argumentum concludit.

121.

Augustinus de alia re agit, contra Manichæos;
Ergò, non facit cum illis, qui negant peccatum originis esse substantiam.

Respondeo: Augustinus de eadem ré, de eadem materia, de eadem quæstione, atq; adeò de eadem phrasi disputat contra Manichæos, de qua nos disputamus contra Illyricum, id quod hæc verba Augustini declarant: *Certè omnis inter nos discretio est, quod vos substantiam quandam malum esse dicitis, nos verò non substantiam, sed inclinationem ab eo, quod magis est, ad id, quod minus est, malum esse dicimus.*

122.

Augustinus loquitur de peccatis actualibus; Ergò non probatur ipsius testimonij sententia vestra.

Resp. Imò in genere dicit ipsum malum non esse substantiam, ac deinde in specie, ipsum vitium & vulnus infictum homini à Sathanæ, nempe originale malum, nullo modo esse substantiam affirmat; vt ait contra Julianum, lib. 6. cap. 8. *Propter quod ego, vitio, quod generi humano Diabolus tanquam vulnus infixit, quamvis nullo modo substantia sit, recte tamen adhibui, de substantia similitudinem, ut fruticem dicerem.* Ex his verbis appetet, Augustinum damnare errorem Flacij.

Nova

123.

Nova doctrina non est inuehenda in Ecclesiam Dei.

Sed hac doctrina, peccatum esse accidens, est nova.

Ergò, non est ea inuehenda in Ecclesiam Dei.

Respondeo: Minor est falsa. Nam in Ecclesia Dei ante mille ducentos annos orthodoxi Patres hac locutione vñ sunt, vt Augustini testimonia declarant, qui vixit anno Christi 433. Sic enim ait in lib. 1. cap. 17. de nuptijs & concupiscentia: *Carnis autem pudenda concupiscentia non est nuptijs imputanda, sed toleranda; non est enim naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum.*

Augustinum verò peccatum originis vocare concupiscentiam, testatur Apologia Aug. conf. Item, Lutherus & Melanth. in proposit. de peccato originis. Ibid. lib. 2. cap. 26. dicit: *Peccatum originis accedit hominibus.* Si accedit hominibus, quomodo ergò potest esse substantia hominis? An accidentia etiam in substantias transformari possunt? Idem contra 2. Epist. ad Bonifacium lib. 2. cap. 2. vocat *accidens vitium.*

Basilius, qui vixit anno Christi 370. etiam peccatum originis vocat *accidens malum*, vt Augustinus testatur contra Julianum lib. 1. & extant apud Augustinum plurima de hac re testimonia, quæ diligenter annotauit D. Heshusius.

Lutherus etiam vocat *accidens*: Nam super 38. cap. Genes. vocat *malum separabile*. Item,

in 4. cap. Gen. ait: *Accessit venenum Diaboli ad generationem.* Itém super Psalmum 90. vocat, *qualitatem & morbum.* Hæc verò accidentia esse, nemò sanus negat.

Item, in sacris literis peccatum originis vocatur *adiacens malum*, quod idem est, ac si dicatur *accidens*. Item, Rom. 5. *Peccatum intravit in hominem.*

124.

Peccatum iam non ab extra in homines venit, sicut Adam initio factus est peccator, & reus coram Deo.

Ergo, non potest dici accidens.

Respondeo: Quando dicimus, peccatum originis esse accidens malum, corruptens substantiam hominis, non hæc est sententia, quod affirmemus, peccatum iam ab extra ad nos pervenire, sed consideratur hominis essentia, qualis quidem ea esse potuisse & debuisse in primis parentibus, & in omnibus posteris, si in statu innocentiae persistissent, ibi vere, recte, & piè dicitur, peccatum originis nequaquam ab initio humanæ naturæ implantatum aut immixtum fuisse: Deus enim nullo modo, vel est, vel dici potest, conditor vel autor peccati, sed hoc ingens malum accessit ad humanam naturam, & est malitia & lepra, quæ peruersit vniuersum genus humanum, excepto Christo: Discernenda estigitur substantia corporis & animæ, cuius autor est Deus, à malo inhærente, cuius autore est Diabolus.

Sceler-

125.

Sceleratum est, cùm noueris pium & sanum esse alicuius sensum, ex verbis incommodè dictis statuerre errorem, inquit Lutherus.

Ergo, propositio Illyrici dextrè intellecta, non potest damnari tanquam heretica.

Respondeo: Illyrici verba sunt falsa, & sententia eius est impia, blasphemæ, & absurdæ. Et quum Illyricus sciat, esse phrases impias & ambiguas, quibus vtitur, cur non eas abijcit, vtens propositione analoga fidei? Cur non seruat regulam, quam ponit contra Maiores hisce verbis: *Propositio intelligenda est secundum verba, & sicut alij boni eam intelligunt, amota fraude & interpretatione autoris.* Lutheri verò dictum loquitur de illis verbis, quæ non pugnant cum fundamento articulorum fidei. Item, quæ per negligentiam alicui excidunt, quæ tamen admonitus abiecit, si alij ijs offendantur.

Regula notanda diligenter in hac con- trouersia.

Aliud est subiectum peccans vel peccato infectum accusare, aliud verò ostendere, quid sit propriè peccatum. Ita quum scriptura vtitur vocibus substantialibus in accusatione peccatorum, tum subiectum peccans, quod est substance, accusat. Quum verò ostendit, quid propriè sit peccatum, tum vtitur vocabulis abstractis, vt cùm Iohannes dicit, *κακη ἡ τὸν ἀνθρώπινον ἀνθετεῖν*, hæc non vtitur voce substantiali, quia ostendit,

N

quid sit peccatum, &c. Hic etiam notetur, quod modo substantia bona dici possit.

Alia argumenta de peccato originis.

126.

*Quod in verbo Dei non extat, est reiciendum.
Vox peccati originis non extat in verbo Dei.
Ergo, non debet hoc vox usurpari in Ecclesia.*

Respondeo: Nego consequentiam; quia à non distributo ad distributum non valet consequentia. Et respondeo ad Maiorem per distinctionem: *Quod in verbo Dei non habetur, scilicet, vel expressè vel implicitè, hoc est: quia vel ipsa verba, vel res ipsæ in sacris literis non habentur, cum meritò reicitur illa opinio, quam aliquis probare nititur extra scripturam.* Ad Minorem. Vox *peccati originis* non extat in sacris literis, scilicet expressè, id est, totidem literis & syllabis, sed tamen implicitè reperitur in verbo Dei, id est, ex certis & manifestis verbi Dei testimoniosis potest res ipsa probari, quæ vox peccati originis continetur.

127.

*Nullum est peccatum, nisi sit voluntarium:
Nam peccatum est, quod fit à sciente & volente,
hac est definitio actualis peccati, non originalis.*

Peccatum originis non est voluntarium.

Ergo, non est peccatum.

Respondeo: Maior in Theologia est falsa.

Pecca-

Peccatum enim non tantum ex assensu voluntatis, sed ex lege diuina estimandum est. Scriptura vero vocat peccatum originis, non solum actionem voluntariam, cum electione suscepitam, sed omnem defectum, cogitationem, motum, non congruentem cum lege diuina, vt, *ignoratio est in avocula.*

128.

Cogitationis pœnam nemo patitur. Item: Secundum affectus nemo dicitur bonus vel malus.

Ergo, interna malitia, si non accedat assensus voluntatis, non est peccatum.

Resp. Maior tantum ex Philosophia desumpta est, non ex verbo Dei, quod contrarium docet, vt Psal. 51. Ecce, in iniquitatibus conceptus sum, Eccl. Gen. 6. Omne segmentum cordis humani malum est omni tempore.

129.

Impossibile est, Deum sua legi aduersari.

Lex diuina vetat, ne liberi propter peccata parentum pleuantur.

Ergo, impossibile est, ut nos propter Adelapsum simus rei, & damnationi obnoxij. Minor probatur, 2. Paral. 25. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. Idem dictum extat, Deut. 24.

Respondeo ad probationem: Lex in Moyse & in Paralipomenis constituit forensia iudicia, & politico magistratui limites circumscriptit, exercendi pœnas, non autem agit de spiri-

tuali iudicio Dei aduersus peccatum, de quo Moyes ait: *Ego sum Deus fortis Zelotes, Eg.*

130.

Propheta Ezechiel non tantum de politici magistratus, sed etiam Dei iudicio affirmat, quod filius non portabit iniuriam patris, sed anima, qua peccavit, ipsa morietur. Ezech. 18.

Ergo, non sumus rei propter peccatum Ade.

Respondeo: Doctrina de peccato originis ex lege assertimanda est, in qua Deus minatur, se peccata parentum puniturum, in tertiam & quartam generationem. Dictum verò allegatum Ezechielis, est ex Euangelio sumptum, quod promittit, Deum remissurum esse peccata, & parentum & propria, si homines egerint penitentiam, & crediderint in mediatorem. Sicut dicitur: *Vino ego, nolo mortem, Eg.* Ergo nihil facit ad propositum.

131.

Quod quis non habet, non transfert in aliud.

Conuersi & sancti parentes non habent peccatum condemnans.

Ergo, peccatum originis, quod damnot, transferre in posterorum non possunt.

Respondeo ad Minorem: Conuersi & sancti habent omnino labem & morbum peccati originis, sed reatus ab illis translatus est per Christum; est quidem peccatum in sanctis testum, & condonatum, sed non funditus sublatum & extinctum: Carnali ergo procreatione in li-

DE SECTA MANICHÆORVM. 183
in liberos etiam sancti peccatum originis transfundunt. Sicut dicitur, Iohan. 3. *Quod ex carne natum est, caro est, Eg.*

132.

Paulus affirmit, filios fidelium esse sanctos.

In sanctitate autem peccatum non est.

Ergo, fidelium liberi non habent peccatum originis.

Respondeo: Est fallacia phraseos. Nam est duplex sanctitas, alia legalis seu politica, alia spiritualis. Paulus loquitur in dicto citato de sanctitate legali, & appellat liberos sanctos, non quod ab utero matris placeant Deo, & careant peccato, sed quod legitimè sint nati, &c.

133.

Ordinatio diuina non gignit peccatum.

Coniugium est ordinatio diuina.

Ergo, non gignit peccatum.

Respondeo: Concedo argumentum. Non enim coniugium vel opus generationis à Deo conditum gignit peccatum, sed vitiosa & labe infecta natura, gignit & transfundit in posteros peccatum: sicut leprosa caro sui similem gignit. Discernendum est igitur Dei opus à vito, quod accessit naturæ.

134.

Nemini nocent peccata, nisi sua.

Ade peccatum non est nostrum, sed illius.

Ergo, non debet nocere nobis.

Respondeo: Maior simpliciter est falsa. Nam

N 3

diferè testatur sacra scriptura, *penitiri filios impiorum in tertiam & quartam generationem*. Item, *nos omnes propter lapsum & Adæ esse morti abnoxios*.

135.

Peccatum non gignit hominem.

Concupiscentia gignit hominem.

Ergo, non est peccatum.

Respondeo: Est fallacia accidentis, & Minor est falsa. Nam non concupiscentia, sed ordinatio diuina facit, ut generentur homines, concupiscentia vitiosa per accidens accessit.

136.

Lutherus inquit in 2. cap. Genes. Theologus Sophista non potest aliter de peccato loqui, quam gentilis Philosophus, nempe sic: *Qualitas harer in substantia aut subiecto: Sicut ergo color in pariete, ita peccatum in mundo, in carne vel conscientia habet, igitur elendum est per contrarios motus, scilicet, per charitatem.*

Ergo, sunt Sophista & Philosophi gentiles, qui vocant peccatum originis qualitatem.

Respondeo: Est fallacia phraseos: quum enim Lutherus negat, peccatum originis esse qualitatem vel morbum, agit contra Sophistas, qui peccatum originis vocarunt leuiculum quandam qualitatem, & leuiculum morbum, non corruptem ipsum naturam: atque inde voluerunt probare hominis naturalia, postquam imaginem Dei, mansisse integra, & propterea hominem, quoad substantiam facti, posse legem

DE SECTA MANICHÆORVM. 185
se legem Dei implere. Appellarę autem aliás Lutherum peccatum *qualitatem & morbum*, constat ex 9.0. Psal. Similis est locus Genes. 8. pag. 138. *Profectò hæc tot & tanta vitia non possunt extenuari, non enim leuis hic morbus seu defetus est, sed extrema ætænia, cuius simile tota reliqua creatura, exceptis Demonibus non habet. Hic Lutherus appellat morbum, sed non leuem dicit esse vocandum; alijs in locis distinguit substantiam à peccato ipso: in cap. 17. Gen. pag. 93. Univerfa caro, & omnis eius substantia ab omni corruptione, ignorantia, cupiditate, peccati factori purgabitur, ut post hac sit immortalis caro.*

Quomodo substantia bona dici possit, cum concedatur eadem prorsus corrupta?

Respondeo: Quum nos substantiam hominis bonam appellamus, tum hoc absolute intelligimus de nuda substantia, quatenus consideratur in prædicamento substantiæ, ut creatura Dei etiam post lapsum, sine omni respectu corruptionis, aut alterius qualitatis in hærentis. Quū verò dicimus, substantiam esse plenè corruptam, simul intelligimus & substantiam, & corruptionem, quæ qualitas est. Ac sicut substantiam peccato infectam, antequam regeneretur per aquam & Spiritum, malam & virtuosam agnoscimus, & omnes bonas vires & qualitates spirituales ei ad unum omnes adiunimus; ita

substantiam quamcunque, extra omnem respetum ad accidentia, absolute tantum consideratam, nequaquam malam, sed tantum bonam esse affirmamus. Bonum autem intelligimus, non bonum morale, sed naturale, quoniam in Genesi de omnibus creaturis dicitur, quod fuerint bona. Seu ut in scholis loquimur: Bonum, quatenus tantum in predicamento substantia consideratur, accipimus, vt bonum significet rem bonam, conditam a Deo. Rationes sunt:

1. Quia, cum seorsim consideratur substantia, quatenus etiam in peccatoribus a Deo est, semper distinguenda sunt res creatae a non creatis, substantiae ab accidentibus.

2. Quia de nulla substantia cogitari potest, cuius Deus non sit author & conditor, Hebr. 3. Qui fecit omnia, Deus est. Coloss. 1. Omnia per filium subsistunt, &c. Cum igitur omnes substantiae, quatenus substantiae sunt, a Deo tantum sint, mala nullo modo dici possunt aut debent, ne Deum authorem, aut quamcunq; causam mali constituamus.

3. Quia Diabolo non est tribuenda ullius substantiae creatio. Quod si igitur substantia mala esset, & Deo non tribuenda, tanquam authori, tum Diabolus fieret eius conditor.

4. Patres sic etiam appellant ipsam substantiam absolute consideratam, bonam, vt Augustinus contra Epistolam Manichaei cap. 33. Ex quo iam videt, quicunque potest videre, omnem

naturam, in quantum natura est, bonam esse. Item de natura boni aduersus Manichæos, cap. i. Omnis autem natura, in quantum natura est, bonum est, & cap. 17. Non ergo mala est, in quantum natura est, illa natura, &c. Augustino autem Synonima sunt, substantia & natura, vt videre est ex 14. cap. contra Secundum Manichæum. Quid autem aliud est substantia, quam natura? Vide Lutheri testimonium in 4. cap. Gène, sicut D. VVigand. citat in lib. germanico, p. 4. fac. 2. Spirituales homines debent discernere inter peccatum originis & creaturem, item peccatum & maledictio separari debet a creatura Dei, quæ bona est.

ALIA ARGUMENTA.

Quicquid agit aliquid, non est priuatio tantum, sed quiddam posituum.

Peccatum originis agit aliquid, Roman. 7. Peccatum operabatur in me omnem concupiscentiam.

Ergo, Peccatum non est priuatio pura, sed etiam quiddam posituum.

Respondeo: Positiva sunt duplia, alia substantia, alia accidentalia. Et non negamus peccatum originis esse quoddam posituum accidentis: non enim est nihil negatiuè, nec est tantum dominorum carentia seu absentia, sed etiam foeda & nativa malitia in corpore & anima.

Omnis res positiva requirit authorem & condi-

torem, sive sit substantia sine accidens.

Sed peccatum originis non est priuatio pura, sed etiam est malum positivum.

Ergo, peccatum originis est quiddam conditum.

Respondeo ad Maiorem, quæ magna declaratione eget. Scholasticorum ille terminus, res positiva, & valde ambiguus & obscurus, & latè patens est. Aliquando significat res positiva substantiam, quæ propriè subsistit, aliquando significat qualitates, accidentia, seu habitus conditos à Deo; aliàs verò accipitur res positiva, pro eo quod non prorsus est nihil negatiuè, sed quod est præsens malum, licet nec substantia sit, nec creata qualitas.

Ac qui usurparunt hunc terminum in hac controuersia de peccato originis, & dixerunt, peccatum originis non esse puram priuationem, sed malum positivum, hoc dicere voluerunt: *Peccatum originis non esse tantum donecum, videlicet iustitia & lucis, absentiam, sed etiam in anima & corde tristem prauitatem & malitiam: Vt si cæcitatem in oculo nomines quiddam positivum.* Maior igitur cum signo vniuersali est falsa. Non omnis res positiva, est res condita. Malitia enim, prauitas, mors, cæcitas non sunt quiddam conditum à Deo, sed tantum tristis destructio & deformitas. Deinde ad Minorem, *peccatum originis est malum positivum,* hoc est, non est tantum absentia donorum, sed etiam præsens malitia & deformitas, quæ tamen mali-

tia seu deformitas non est quiddam conditum, sed est conditum rei confusio, sicut Iohannes perspicuè distinguit, inter res conditas à non conditis, *omnia per ipsum facta sunt,* & sine eo factum est nihil, quod factum est, quasi dicat; multa sunt in mundo, quæ non sunt condita per Filiū, vt mors, peccatum, morbi, cæcitas, ignorantia, tenebræ.

139.

Omnis pœna est à Deo.

Sed peccatum originis & alia plurima peccata sunt simul pœna peccatorum.

Ergo, peccatum originis & alia plurima peccata sunt à Deo.

Respondeo ad Maiorem: pœna est à Deo, vel effectuè, vt cum dicitur, *Non est malum in cunctitate, quod non fecit Deus:* vel permissiùè, quia permittit Deus, puniri peccata peccatis, sed nec facit, nec approbat, nec adiuuat ea. Idololatriam & libidines punit Deus cæcitate mentis & furoribus, iustissimo suo iudicio. Malum quod rationem pœna habet, à Deo est permittente: quatenus verò peccati rationem habet, est à praua hominis voluntate. Augustinus hoc modo responder: *Vnum atque idem malum, & Diabolii iniquitate, & Dei aequitate peccatoribus ingeritur: nō ipse Diabolus, & propria malignitate infestus sit hominibus, & Dei iudicio, si natura nocere peccatoribus. Neg, divina eloquia sibi aduersantur, quia scriptū est. Deus morte nō fecit. Itē, vita & mors à*

Dominus Deo, quia deceptor hominis, causa moris est Diabolus, quia non ut primus author eius, sed ut peccati vltor, intulit Deus. Item ad Bonifacium lib. i. cap. 18. Deo deferente pro meritis, imus in malum, Deo adiuuante sine meritis conuertimur in bonum.

140.

Omnis corruptio substantialis, abolita priore forma substantiali, reponit aliam formam substantialis. Sed in lapsu Adae facta est totius substantialis hominis corruptio.

Ergo, in lapsu Adae abolita priori forma substantiali, reposita est noua forma substantialis.

Respondeo: Simpliciter nego Maiorem, nec potest illa probari, neque ex verbo Dei, neq; ex Philosophia. Corruptio enim non semper abolet formam substantialis, ut verbi causa: Etiam si olea degeneret in Oleastrum; vitis in labrusca; arbor laesione radicum sterile scat, non tamen haec corruptio abolet formam substantialis olea, vitis, arboris, ipsa enim species rerum manet, licet corrupta sit, & maneat substantialis forma similiter, valde depravata. Multò vero minus concedendum est, quod corruptio reponat nouam substantialis formam, ipsa enim corruptio non generat nouam speciem. Et quia in loco de peccato originis agitur, de spirituali corruptione hominis, ineptum planè est, velle ex Physicorum doctrina de hoc mysterio disputationare.

Mors

141.

Mors spiritualis non solum corrumpit, sed auferit planè formam substantialis & inducit nouam contraria formam substantialis. Quacunque die comederis de arbore ista, morte morieris.

Sed Adam per lapsum est spiritualiter mortuus.

Ergo, Adam amisit priorem formam substantialis, & accepit nouam formam substantialis.

Respondeo: Nego Maiorem, mors Spiritualis non auferit formam hominis substantialis, nec introducit nouam formam substantialis: spiritualis enim mors non redigit hominem in nihilum, etiam si horribiliter corrumpat & tristissimi pœnis subiicit hominem. Mansit homo corpore & anima etiam post lapsum.

142.

Nullares carens forma, aliquid operatur.

Sed homo vetus operatur omnem concupiscentiam. Rom. 7.

Ergo, homo vetus habet formam.

Respondeo: Concedo totum argumentum rectè intellectum. siue de substantiali hominis loquaris, habet illa suam formam; siue de peccato originis loquaris, habet & illud suū formale.

143.

In malis actus precedit habitum, nullus enim habitus malus est infusus, sed acquisitus, & habitus ex crebra actione comparatur.

Sed peccatum originis non precedit aliquis actus.

Ergo, originale peccatum est habitus.

Respondeo: Sunt quatuor termini. Nam in Maiore vox habitus sumit specialiter, in conclusione vero generaliter. Quod si in Maiore & conclusione vox habitus eodem sensu accipatur, concedo totum argumentum. Nam peccatum non est talis habitus, qui comparetur ex actibus, sed est ingenita, innata prauitas, & naturale malum: alias habitus est virtus vel vitium, alias habitus significat dispositionem.

144.

Prinatio opponitur habitui, & significat absentiam habitus.

Peccatum originis est prinatio.

Ergo, Peccatum originis non est quidam habitus.

Respondeo: Est argumentum Thomæ Aquinatis, posset totum argumentum concedi, quia propriè loquendo peccatum originis non est quidam habitus, vsu & exercitatione comparatus, sed est naturalis cù adiutoria tūm prauitas. Ex ipsa nativitate trahimus peccatum originis, & prauitatem naturæ. Quod vero Apologia dicit, *peccatum originis non esse priuationem puram, sed & coniunctum habitum prauum*, generalius ibi sumitur, vocabulum *habitus*, pro dispositione naturæ seu qualitate. Sed ad Minorem nunc respondeo. Peccatum originis non est tantum priuationio, id est, absentia donorum, iustitiae, lucis & vita, sed est etiam foeda malitia, & innata prauitas naturæ. Adam non tantum spoliatus, sed etiam vulneratus est.

Quate-

Quatenus ergo priuatio est, non est habitus peccatum originis, quatenus vero est prava dispositio naturæ, generali significatione, habitus dici potest.

145.

Imago Dei fuit ipsa forma substantialis in Adam.

Sed Adam amisit imaginem Dei.

Ergo, Adam amisit formam suam substantialiem.

Respondeo: Simpliciter Maiorem nego, forma substantialis Adæ ante lapsum fuit, ipsa substantia corporis & animæ, & harum substantialium partium unio. Forma enim substantialis nihil aliud est, quam ipsa substantia condita à Deo. Imago Dei non fuit ipsa substantia, nec corporis, nec animæ, sed illa qualitas & similitudo, qua homo referebat Deum, nimurum lux & sapientia in mente, iustitia & libertas in voluntate, vita & integritas in toto homine; Adam no amisit substantialiem formam, licet ea sit horribiliter corrupta per peccatum, siquidem tota substantia est secundissime corrupta; Si Adam formam substantialiem amisset, non esset amplius homo, sed planè noua esset species, quod sacra Scriptura non concedit.

146.

Spiritus sanctus essentialiter transformat nos in priorem Dei imaginem.

Ergò, neceſſe eſt noſ essentialiter à Sathan transformatos eſſe in imaginem Sathana.

Repondeo: Primum ad Antecedens: præſtitia latent in voce essentialiter, aut enim significare potest, quod Spiritus sanctus non tantum accidentia corrigat, sed etiam ipsam corruptam substantiam reficiat, sanet, & Deo conformem faciat, quod verū eſt; Aut significare potest, quod transformando nouam substituat essentiam, amota priore, quod falso eſt. Cum ergo inſidiā lateat in phraſi essentialiter, & nō ſit in ſacra Scriptura, meritò eam reiicimus; posteriorem ſignificationem, quam vrgit Illyricus, prorsus repudiamus. Spiritus sanctus enim non reponit nouam essentiam vel eſtentiale formam, ſed substantiam à Deo conditam & per peccatum corruptam & contaminatam, reparat, reficit, sanat, transformat. Deinde nullo modo ſequitur: Spiritus sanctus transformat, & creat nouam imaginem in nobis. Ergò, Sathan prius essentialiter transformauit hominem in ſuam imaginem. Sathan non eſt par potentia Spiritui sancto, nō eſt conditor aut creator, corrupit quidem, deformauit, vulnerauit ipsam hominis ſubstantiam, ſed nouam ſubtentiale formam illi non indidit.

147.

Tantum carnem, & non animam, trahimus à parentibus ex traduce.

Peccatum originis potissimum eſt in anima, in mente & voluntate.

Ergò,

Ergò, peccatum originis non trahimus à parentibus.

Respondeo: Violenta ſolutione, & tamē pia retundit hoc argumentum Auguſti. ad Bonifac. lib. 3. Quicquid de origine anima differit, ſi negatur peccatum originis, falſum eſt. Cum nec Auguſtinus nec Lutherus voluerit definire certò, utrum anima ſit ex tradice, credo pios, ſine iactura fidei, hīc poſſe ērēxerit. Satis apparet aurem in ſcriptis Auguſtinii, Lutheri & Philippi, quod inclinet in hanc ſententiam, quæ statuit, animas eſſe ex tradice; & grauiſſima aſgumepta ostendunt ex ſacra Scriptura. Maior ergò reiicitur, vt quæ expreſſo Dei testimonio defendi nō potest. Facilius verò contraria ſententia ex Scriptura potest probari; Ad inspiravit Deus spiraculum vita: Sed de Eua hori legitur; ea tota formata eſt ex coſta. Adam genuit Seth ad imaginem ſuam; ea non tantum in corpore, ſed in anima reſidebat. Sacra Scriptura totum hominem, corpus & animam vocat carnem: Christus noster frater eſt, & caro de carne noſtra, non tantum ſecundum corpus, ſed etiam ſecundum animam: Psalm. 51. Ecce, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Psalm. 139. In inferioribus terraformasti me.

148.

Non peccat is qui nascitur; non peccat is, qui genuit; non peccat ille, qui condidit.

Per quas igitur rimas, inter tot praefidia innocen-

O

196 D. CYNRAD. SCHLVSSEL:
ria, finge peccatum esse ingressum? Iulian. apud
Augustinum, libro de nuptiis & concupiscentia,
cap. 28.

Respondeo: Per unum hominem peccatum intravit in mundum. Roman. 5. Haec magna fuit irma, nullo praesidio innocentiae clausa. Peccatum qui genuit, id est, Hebraica consuetudine habet peccatum, & immundam massam progeneravit, & non sine peccato genuit problem. Peccatum etiam is, qui nascitur, id est, Hebraica consuetudine habet peccatum: Nascitur enim ex immundo semine, & ex corrupta atq; peccato inficit massa. Dauid inquit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum. & in peccatis concepit me mater mea. Ipse ortus in vitio est, inquit Ambrosius. Ergo etiam qui nascitur peccat, id est, habet defectus & peccata cum nascitur. Deus autem, qui naturam licet immundam propagat, condit & format, non peccat vlla ratione.

149.

Arbor bona non fert malos fructus.

Coniugium est res bona.

Ergo, non fert malos fructus, & in coniugio nat sunt sine vito.

Respondeo: Plus est in conclusione quam in præmissis. Hoc tantum sequitur: Coniugium non parere malos fructus. Deinde nec coniugium est causa peccati originis, sed prauitas & malitia residens in coniugibus, in anima & corpore. In coniugio natitrahunt malum originis, non ex

DE SECTA MANICHAORVM. 197
coniugio, quod est ordinatio diuina, sed ex vita-
esa natura amborum parentum.

150.

In parvulis, vel afflio est rea, vel natura:

Sed natura rea non est, quia a Deo facta; nec afflio est rea, quia nihil fecerunt infantes.

Ergo, nullum est peccatum originis in infantibus.

Respondeo: Nego Minorem. Natura enim infantum omnino rea est: Nam Iohannes dicit; Qui non credit in Filium, vitam non videbit, sed ira Dei manet super ipsum. Iohau. 3. Item, Ephes. 2. Eratus natura filij ira; Non autem vergit hoc in contumeliam Dei, qui fecit naturam, sed omnis culpa est in homine: Deus enim naturam fecit sine vito, homo autem sponte se auertit, a Deo, & corrupit naturam, & peccato ream, & ira Dei obnoxiam fecit.

151.

Natura capax perfectæ iustitiae, non habet vitiæ naturalia.

Sed humana natura capax est perfectæ iustitiae.

Ergo, non habet vitiæ naturalia.

Respondeo: Nego Minorem. Humana enim natura ex se non est capax perfectæ iustitiae: imo nullius veræ iustitiae capax est humana natura, nisi regeneretur & renouetur per Spiritum sanctum: Verbum mem., inquit Christus, non capit in vobis, Iohannis octavo: & animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, i. Cerinthiorum 2. Ex Dei autem operatione, &

con-

O 2

renouatione Spiritus sancti, est omnino capax natura humana perfectae iustitiae, quæ est in hac vita inchoativa, & post hanc vitam consummativa. Ac quia transformatione per Spiritum sanctum à claritate in claritatem egemus, necesse est in hominē tristissima esse vicia naturalia.

152.

Pugnantia inter se sunt, parentibus condonare propria peccata, & parentum peccata damnare in filiis.

Sed Deus parentibus condonat propria peccata. Ergo, Deus non potest in filio damnare parentum peccata.

Respondeo: Nego Maiorem. Nam doctrina legis & Euangelij, non sunt inter se pugnantes sententiæ, licet sint diuersæ. Lex diuina docet, Deum punire peccata parentum, in parentibus & filiis, in tertiam & quartam generationem. Et iuxta hanc doctrinam verissimum est, propter peccatum Adæ totam puniri posteritatem. Iuxta Euangelium autem remittit Deus parentibus & filiis cum aliena, tunc propria peccata, omnibus verè penitentiam agentibus, & vera fide ad mediatorem configentibus.

153.

Flagitare ab homine amplius, quam prestare potest, est iniustum.

Sed si homo per peccatum originis prorsus est corruptus, & tamen Deus perfecta ab eo, coflagitat istitiam

stitiam, plus flagitaret, quam homo prestare posset.

Cum ergo iniustus Deus non sit, natura peccato originis non est corrupta.

Respondeo: Maior non est simpliciter vera. Nam & homo aliquando sine iniustitia plus flagitare potest, quam præstare posset. Et si Dominus in Euangelio flagitat, a seruo debet decem milium talentorum solutionem, quæ ipsi prorsus era^t impossibilis, tamen non est in iustitia accusandus, poscit enim quod ipsi iure debetur. Quid iure flagitari possit, non ex debitoris facultate, sed ex obligatione astimari debet. Condidit Deus hominem rectum & integrum, & dedit illi legem quam poterat seruare, addita combinatione. Cum ergo homo ipse corruperit vires suas, & se in mortem precipitauerit, optimo iure flagitat Deus, etiam à corrupta natura, perfectam obedientiam, & cum eam non præstat, damnat eam. Hoc enim postulat ab homine, ad quod candidit hominem, & quod dedit homini, & ad quod homo obligatus fuit, ipsa conditione & lege.

154.

Sinati de renatis traherent peccatum originis, tum neesse esset, in baptismo non remitti omnia peccata.

Sed in baptismo remittuntur omnia peccata, aeternalia & originale.

Ergo, nati de renatis non trahunt peccatum originis.

Respondeo: Nego Maiorem. Vtrumq; enim

restatur Spiritus sanctus, & natos de renatis trahere originale malum, David enim ait: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, & rameo omnia peccata dimitti in baptismo: *Saluos nos fecit per lumen regenerationis & renovationis Spiritus sancti*. Tit. 3. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omnibus peccatis*. Iam si quæratur, quomodo hoc transfundi possit, quod remissum est planè? Respond. ex Augustino: *Peccatum originis dimittitur in baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur*. Item: *Lex peccati remissa est generatione spirituali, manet autem in corpore mortali*, contra Julian.lib.2.

155.

Generans non potest trahiicere in prolem, quo ipse caret.

Sed Pater regenitus caret omni reatu peccati.

Ergo, non trahiicit in prolem reatum.

Respondeo: Maior non est simpliciter vera. Nam, teste Augustino: *Circumcisus non habet preputium, & tamen generat talem, qui habet preputium*, contra Julianum lib.6.cap.3. Item: *Ergo circumcisus tradit nascenti de se, quo caruit in se, caruit & tamen tradidit, amisit & tamen transmisit*. Et de nuptiis & concupiscent. lib. 2. cap. 24. *Ex olla semine, non nisi oleaster nascitur*. Ergo potest generans aliquid trahiicere in prolem, quo ipse caret; *Transfundit semen virtosum, quod natura corruptum & reatu obstrictum est*. Quod vero pater regenitus hoc reatu caret, non à natura, sed

DE SECTA MANICHAORVM. 201
sed spirituali regeneratione habet, quæ non trahicitur carnali procreatione, ut ergo parens natura obnoxius fuit iræ Dei, ita licet spirituali regeneratione renatus sit, tamen quia secundum naturam, & ex corrupta carne generat, non secundum Spiritum, omnino transfert & vitium & reatum in prolem.

156.

Accidens dicitur, quod non naturale est vitium, sed quod ex casu homini accedit. Sic Augustin.lib.6, contra Julianum dicit, ex casu accidente factum esse patrem Fundani luscum.

Sed peccatum originis non est ex casu, nec extrinsecus ad nos accedit, sed est naturale vitium, quod ei contrarium.

Ergo, peccatum originis non est accidens.

Respondeo: Fallacia est ex Amphibolia vocis accidentis. Alias accidens significat omnem qualitatem, sive ~~ea~~ naturaliter insit, sive ex casu, & sic vocabulo *substantia* opponitur; & in hac significatione usurpatur in hac controuersia. Alias vocabulum *accidentis* sumitur pro eo, quod non ineat alicui naturaliter, sed quod est contingens, & ex aliquo casu accedit, ut *Fundani Pater ex accidenti fuit lucus*. Hac significatione dici potest, *Adamum habuisse peccatum originis, seu corruptionem naturae ex accidenti, nos verò à natura habemus & contraximus, & tamen substantia non est, sed accidens*.

157.

Accidens separabile, est formale alterationis non corruptionis.

Sed peccatum est accidens separabile à natura.

Ergo, per peccatum natura humana tantum alterata, & non corrupta est.

Respondeo: Nego Maiorem. Nam accidens malum, non tantum alterat, sed etiam corrumpt naturam, iuxta Theologos, Psalm. 14. *Corrupti & abominabiles facti sunt.* Iesu poni fuit accidens, & corrupti totam substantiam hominis. Pestis est accidens vitium, & tamen non alterat tantum hominem, sed planè destruit plerumq., *Vulnus, cedes, infania, morbus, stultitia, sunt accidentia, & tamen corruptunt corpus & animam, non autem redigunt rem in nihilum.*

158.

Naturalia per accidens non convertuntur, ut, liget quis casu amiserit oculum, non tamen gignit carnem oculis.

Sed peccatum originis est accidens vitium.

Ergo, per peccatum originis naturalia non convertuntur.

Respondeo: Nego Maiorem, Augustin. recitat exemplum contrarium. *Fundanum Carthaginensem Rhetorem, cum pater accidenti vitio luscus esset, luscum filium procreasse: & addit, hoc exemplo exercitur illa sententia, quia dicitur naturalia per accidens non converti. Accidens quippe fuit in parte, quod factum est in filio naturale.*

Reg

159.

Res, qua est in subiecto, sine illo subiecto, in quo est, esse non potest.

Sed subiectum reatus est parens, & subiectum parentis non transit in prolem,

Ergo, nec reatus vel malum concupiscentia, quod in parente est, transit in prolem,

Respondeo: Non quidem tota persona transit in prolem, sed tamē de subiecto aliquid transit, videlicet, semen corruptum, ex quo nascitur proles: vnde & reatus & malum concupiscentia, transfuſo ſemine, transit in prolem,

160.

Cum Deus sit conditor hominis, non poſſunt homines cum aliquo malo nasci.

Sed Deus est totius hominis conditor.

Ergo, non poſſunt homines cum aliquo malo nasci. Probatur Maior, quia perfecta ſunt omnia Dei opera.

Respondeo: Neganda est Maior. Vtrumq; eſte verum, testatur ſacra ſcripura, Deum eſſe conditorem hominis, & tamen omnes homines nasci cum peccato originis. Psalm. 100. inquit: *Ipſe fecit nos.* Et Psalm. 51. *Ecco, in iniuitatibus conceptus sum.* Deus in principio rectum creauit hominem, ſine omnivitio, & ſi mansiſſet homo in integritate, propagatio facta eſſet ſine vi- tio; post lapſum vero, etſi immunda eſt maſſa generis humani; Deus tamen creat & format hominem ex ea: non enim defert nec intermit- tit opus ſuum propter peccatum, ſed creat &

propagat Deus homines ex immunda massa, non aliter ac faber ex ligno putri sculpit statuam. Dei quidem opus purum & perfectum est, quantum à Deo proficiscitur, sed massa est immunda, & immundicies vna propagatur. Omnes enim natura sumus filii ire.

161.

Ex bonis causis non potest oriri malus effectus.

Sed coniugium & consuetudo coniugalis sunt bona & legitima, ordinata à Deo.

Ergo, ex coniugio & consuetudine coniugalibus non potest propagari peccatum originis.

Respondeo: Singulæ partes magna declaratione egent. Ex bonis causis malus effectus oriri non potest, scilicet, quæ sunt perfectæ & perpetuæ bona, ut à Deo, qui est imminutabiliter bonus, nihil mali oriri potest. Sed multæ sunt causæ in mundo, quæ licet bona sint, non tamen omni vitio carent, nec perpetuæ sunt bona. Et aliter agunt causæ voluntariæ, aternaturales: voluntas hominis etiam bona sàpè errat, sàpè peccat. Coniugium quidem per se & suo genere est res bona, & consuetudo coniugalis, sed vitium libidinis & peccatum deformant Dei ordinationem. Ad conclusionem etiam respondeo, peccatum originis non ex coniugio propagari, sed ex polluta & corrupta massa parentum, in ipso impuro semine hærent, peccatorum fordes, quæ ipsa procreatione transfunduntur in posteritatem.

Ex bo-

162.

Ex bona causa, quæ perfectè bona est, non potest oriri peccatum.

Sed voluntas Adæ fuit perfectè bona.

Ergo, ex voluntate Adæ non potuit oriri peccatum.

Respond. ad Minorem, quæ de incommutabili bono vera est. Sed Adæ & Angelorum voluntates, licet perfectè fuerint bona, non tamen erat immutabile, sed mutabile bonum. Creatura enim à creatore differt. Quād diu ergo mansit Adæ voluntas bona & iusta, non est ex ea ortum peccatum. Ipsa autem bona voluntas Adæ mutata est in malam, atque ita ipsa sibi peperit peccatum & mortem, dum sponte à Deo defecit, & iustitiae & virtutis fontem deseruit.

163.

Si homo nascitur sub peccato, aut Deus non creat hominem, aut creat eum Diabolo, aut Diabolus enim creat.

Sed nec primum, nec nouissimum adferi potest à Christiano.

Ergo, Deus creat hominem Diabolo.

Respondeo: Nego Maiorem. Non enim sequitur, Deum creare homines Diabolo, cùm creat eos sub peccato. Non enim hoc curat & agit Deus, ut Satan habeat seruos, quos sibi facere non potest, sed Deus condit homines in usus profundarum cogitationum suarum, ait August. Omnia propter seum condidit Deus, inquit Salomon. Ac primum cōdidit Deus homines sine peccato; nunc

condit eos sub peccato, nimirum, ut colligat ex illis Ecclesiam, & in alijs suam ostendat potentiam. Nouit Deus etiam vasis iræ vti ad opera sua iusta & bona, sicuti & ipsis Diabolis ad opus suum vti potest.

DEMONSTRATIONES, QVOD

*Lutherus peccatum originis vocauerit retra
accidens, vel habuerit pro
accidente.*

I. Distinctionem inter substantiam & accidentia non improbavit Lutherus, sed approbavit, & confusionem eorum ferre non potuit, vt videre est ex eius libris contra Sacramentarios, in quibus reprehendit, quod illi substantiana pro accidente accipiunt, & ex substantia faciant accidentis.

II. Præter hæc duo, substantiam nimirum, & accidentis, non posuit aliquid tertium.

III. Illyricus, contra quem causam Dei dicimus, in 2. part. Clavis. fol. 488. expresse inquit, in homine duo tantum sunt, substantia & accidentis, & nullum est tertium. Sic igitur argumentor:

Peccatum originis aut substantiam aut accidentis esse necesse est. Nullum enim est tertium, teste Illyrico, & consentiente Luthero.

Sed Lutherus plus millies negat, esse substantiam, accuratè substantiam ipsam à peccato, distinguens.

Ergo,

Ergo, peccatum originis Lutheru est accidentis. Valet Syllogismus hypotheticus disiunctiuus, quia in diuisione sufficiens facta est enumeratio specierum, & proceditur à remotione vnius ad asseverationem alterius.

III. Item, Lutherus & Confess. August. peccatum originis vocant *morbum*. Morbum vero omnes iani accidentis esse concedunt. Et Lutherus ipse, ubi de peccato originis multa agit in 2. cap. Gen. *Morbum expreſſe accidentis nominat*, fol. 32. Ibidem: *Peccatum originis est amissio iniustie originalis, sicut cœctas est priuatus. Qualitatem etiam multoties nominat, vt in Psal. 90. Qualitatem autem & accidentis, esse Synonyma, ipſe Illyricus confitetur, in demonstrationibus suis, fol. 35. Si etiam est qualitas, neceſſe est distingui ab ipsa substantia, quia qualitas, testibus omnibus Philosophis, est, quæ in re est, & qualis ipsa sit, comonstrat.*

ABSVRDITATVM ET ANTI
LOGIARVM FLACII QVA
rundam consignatio.

*Ex libro de Occasionibus vitandi
errorem, &c.*

SENTIA iniustiae originalis & peccatum sunt Synonyma, fol. 1. & 2.
Caro est peccatum originis, fol. 7. fol. 18.
Falsa est propositio: *Quicquid vero dicitur*

peccatum, id totum tantummodo à solo Diabolo aut homine est. fol. 12.

Falsa est propositio: Quicquid est aut dicitur peccatum, id est merum aut purum opus Sathanæ, nec quicquam à Deo habet, vel ratione originis vel essentiæ suæ. fol. 15.

Cor est iniustitia originalis & imago Sathanæ. fol. 17.

Diabolus mentem ac rationem in aliam formam transformauit. fol. 17.

Diabolus ipsam formam essentialem animæ inuertit, priorem optimam essentiam formalem sustulit, & substituit nouam pessimam. fol. 17.

Anima rationalis est peccatum originis. fol. 20.

Non potest admitti distinctio operis Dei & Diaboli. fol. 21.

Non sunt nouæ locutiones & phrases, cor, anima, mens, &c. est peccatum originis. fol. 26.

Cor, quod est fons omnis mali, est peccatum originis, testibus omnibus Theologis. fol. 27.

Anima rationalis in homine, est creata imago Dei initio. fol. 28.

Corruptio substantiæ, est ipsius substantiæ inuersio aut mutatio ex optima in pessimam, seu amotio optimæ substantiæ, & contraria positio pessimæ.

Mors in omni re aufert optimam substantiam

tiam aut essentiam formalem, & relinquit pessimam; ut aufert viuum hominem, & relinquit cadauer, seu mutat viuum hominem in triste cadauer. fol. 29.

Mors mutauit optimam substantiam aut essentiam formalem hominis in pessimam, seu abstulit optimam, & reliquit pessimam. fol. 30.

Imago Dei fuit essentia formalis hominis. Imago Sathanæ, seu peccatum originis est essentia formalis hominis. fol. 30.

Homo amisit formam essentialem, & contrariam prorsus natus est. fol. 33.

Abstracta & ideæ Sophistarum, defectus, priuatio, imbecillitas, languor, ataxia, cœcitas, & similia, sua natura sunt tantum latuæ & umbræ verborum, à rebus ipsis & materia abstractæ. De essentia imagi. fol. 6.

Fol. 21. ibidem, vocat peccatum originis corruptionem & morbum. Morbus vero & corruptio an sunt substantia?

Peccatum originis non est aliquid accidens, quod sit quiddam planè diuersum ab ipsa anima, eiusque substantialibus aut essentialibus potentij. fol. 24.

Ipsa animæ rationalis essentia fuit imago Dei, & iustitia originalis ante lapsum.

Ipsa essentia animæ rationalis post lapsum est imago Sathanæ, & iniustitia originalis, seu peccatum originis. fol. 25.

Ipsa essentia animæ rationalis est peccatum originis.

In regeneratione nostra animæ, essentia ex pessima in optimam formam essentiale transformatur.

Homo est potissimum illa anima rationalis, seu illud diuinum spiraculum, creatoris ore nobis inspiratum, fol. 30. & 31.

Ipsa optima Dei creatura, anima rationalis, est inuenia, ut iam sit peccatum originis, fol. 36.
37.

Ex libro, quem vocat γνῶθι σεαυτόν.

Peccatum originis est peruerissima natura nostra. Pessinus thesaurus cordis, est peccatum originis, *in præfatione*. Ibid. vocat peccatum originis pestem ingentem. Item, horrendam iniustitiam, deformitatem tristem, ac pudendum nuditatem corporis & animæ. Deus accusat naturam innatae corruptionis, *in præfatione*: Et quidem Illyricus ibi recte allegat, 13. Psal. qui disertè peccatum originis vocat corruptionem. Item, dicit, naturam esse corruptissimam. Item, hominem esse prorsus corruptum. Psalm. 52. idem dicitur. De essentia & de substantia sunt Synonyma, ibid. Ibid. vocat morbum. Item, petuerissimam mortem. Item, cœcitatem, ex 9. cap. Iohannis.

Αρούρια apud Iohannem significat concretum & ipsum subiectum, quia abstractum *ἀρούρια* pro concreto in illo dicto ponitur.

Peccatum in hac contiouersia significat idem, quod vitium seu iniustitia, A. 1. fac. 2.

Quatt-

Quando Christus dicitur peccatum, ibi vox peccatum significat rem iniustum ac ream. A. 3.

Iustitia originalis aut imago Dei fuit ipsa anima rationalis. 11. fol. *Sequente folio*, vocat iustitiam & sanctitatem veram, illudque probat ex 3. cap. *Coloss.*

Iustitia & sanctitas fuit ipsa forma hominis. fol. 14. Ergo Adam post lapsum non mansit homo. folio sequente dicit, imaginem fuisse in anima, mox dicit, fuisse formam essentiale animæ. fol. 16. dicit, imaginem Dei in homine fuisse ipsam mentem hominis.

Ipsa anima rationalis fuit imago Dei. fol. 19.

Fol. 24. vocat peccatum originis naturæ nostræ prauitatem.

Fol. 26. 27. 28. 29. sumit probationem suæ opinionis ex Cicerone, & confert ipsius dicta, cum testimonij scripturæ. *Hoc obseruetur contra discipulos Platij, qui clamitant, nos ex Philosophia munire nostram assertione, cum tamen Plati fundamenta principia deprompta sint ex tenebris lacunis Philosophie.*

Error est, omnem virtutem & vitium esse merum accidens. fol. 34.

Ibidem. Peccatum originis, vitium, seu iniustitia originalis, nequaquam sunt accidentia, sed ipsissima essentia hominis: sicut etiam virtus aut iustitia originalis fuit essentia hominis ante lapsum. Hinc colligitur inuicta consequentia:

Homo amisit imaginem Dei.

Sed imago Dei, teste Flacio, fuit ipsissima essentia hominis.

Ergo, Homo amisit essentiam suam.

Fol. 36. dicit, imaginem Dei fuisse formam essentiale in hominibus. *Ibid.* dicit, imaginem Dei fuisse innatam, coëssentiale in parte intelligentiæ, lucem animæ. *Item*, fuisse in parte volente naturalem appetitum, ac ardentem amorem Dei & proximi, omniscientiam honestatis ac iustitiae. *Hac descriptio vera est.* Si vero *imago Dei* fuit ipsa lux animæ, item amor Dei & proximi. Ergo fuit quiddam distinctum ab ipsa anima: Nam lucem & dilectionem Dei & proximi homo amisit, animam vero & voluntatem non item.

Anima rationalis est ipse metus intellec-tus ac voluntas. *fol. 37.*

Extincta luce, aut videndi in oculo, ipse oculus non amplius supereft. *fol. 38.*

Ratio est ipsa differentia formalis aut essentialis hominis. *fol. 38.*

Fol. 42. ait, imaginem Dei fuisse nobilissimas animi potentias, seu ipsam rationem, aut liberum arbitrium. Pessima forma, in quam Satan nos transformauit, est nostra iniustitia originalis.

Fol. 44. Peccatum est quiddam substantiale & essentiale. Corruptio, defectus, & concupiscentia, non sunt abstracta, non accidentia, sed nobilissimæ partes hominis, seu forma essentialis hominis.

Prauæ

Prauæ cupiditates non sunt diuersum quidam à corde, sed sunt ipsissima mala natura, ac intima vis pessimi cordis. *fol. 53.*

Peruerfissima natura est genus peccati originis. *fol. 55.* Peccatum originis est imago Sathanæ, aut iniustitia originalis, præter reatum, mens ipsa, &c. *fol. 56.*

Paulus vtitur voce corruptionis. *fol. 56.*

Fol. 60. Vocat ex Thoma inueteratum morbum; *Morbum vero non esse substantiam, sed accidens, quilibet suum mentis facile intelligit.*

Fol. 63. Ex Aristotele probat, nos amisisse imaginem Dei.

Fol. 66. ait, homines interdum posse substancias commutare, ut vinum in acetum, aut etiam vappam.

Liberum arbitrium in homine, ante lapsum fuit imago Dei, post lapsum, idem liberum arbitrium inuersum, est peccatum originis. *fol. 70.*

Fol. 72. Vocat rectè peccatum originis nuditatem, & addit hæc verba: Hominem conformi anima nudatum, ob eius amissionem, gravissime Deus accusat.

Ibid. Vocat pudendam nuditatem in corde peccatum originis. *Item*, detestandam fœditatem. *Item*, nuditatem, &c. *Item*, paupertatem & nuditatem spiritualem.

Christus appellat nos filios Sathanæ, ob pessimam nostram naturam, quia similitudinem & indolem ingenij Sathanæ referimus. *Item*:

Christus ostendit nobis serpentinum venenum, aut semen, aut imaginem, caputque infusum esse, nosque inde prolem serpentinam vocari.
fol. 75.

Ibid. dicit, nos imaginem Sathanæ habere in corde vel rationali anima. fol. 75.

Fol. 77. dicit, terram malediciam à Deo, fuisse priuaram bona indole & natura.

Fol. 83. dicit, Sathanam deformasse tabulas cordis nostri. Diabolus erasit ipsam sanctissimam scriptiohem (imaginem Dei) ex membrana cordis nostri, non sine aliquâ ipsius membranae corruptione: & contra in eadem membrana inscripsit suam legem, quam Prophetæ vocant peccatum, cœcitatem, infernales tenebras, &c. fol. 86. Vocat etiam *ibidem* hominem corruptum. Imò aliquoties in loco isto & praecedenti vtritur verbo corruptionis, id quod obseruandum est, contra Flacij discipulos, qui hoc vocabulum explodunt.

Fol. 87. manet idem in diuiduum hominis, & velut eadem membrana, sed scriptura est mutata, ita ut ex filio Dei, factus sit filius Sathanæ. idem dicit fol. 89.

Fol. 91. ait, Diabolum esse conditorem creaturarum, quod tamen negat in sua protestatione.

Fol. 90. dicit, idem in diuiduum mansisse, & corpore, & anima.

Fol. 93. anima in super planè transformata est in contrariam substancialē formam pessimam.

Fol.

Fol. 94. Allegat verba Buceri, qui definit re-ctè, Peccatum originis esse vitiositatem & deprava-tionem totius naturæ, & ex illis verbis vult suam sententiam munire.

Deus bone, quid est, esse percussum Spiritu ver-tiginis, si hoc non est?

Fol. 97. ait: Rationem ante lapsum fuisse i-maginem Dei: Iam vero eandem inuersam, es-se imaginem Sathanæ, seu peccatum originis.

Fol. 98. Sicut natura aut ratio sana nullo mo-do est accidens quoddam, sed ipsissima atque adè nobilissima substantia totius hominis; I-ta hæc quoque in imaginem Sathanæ transfor-mata.

Fol. 102. Vocat semicorruptionem substan-tiæ peccatum originis, & negat se de Physica loqui, in libro vero de essentia peccati, fol. 29. con-trarium afferit.

Fol. 104. dicit, homines in resurrectione mu-tari, non solùm in accidentibus, sed etiam in sub-stancia.

Fol. 109. dicit, Nabuchodonosorem secun-dum gradum nobilitatis & formæ hominis mu-tatum fuisse.

Forma est multò nobilior substantiæ pars. I-tem, substantia est duplex, materialis & forma-lis. fol. 121.

Substantialis forma, aut substantiæ formalis vultus, est pulcherrima species alicuius pulchri hominis. fol. 122.

Fol. 126. disertè ait, peccatum originis esse substantiam.

Fol. 130. Omnis corruptio priorem substancialē formam, si non prorsus, at certè aliqua ex parte violat & abolet, tum nouam superinducit, seu nouum quoddam esse, in eo subiecto efficit.

Et hoc ipsum est, quod vocamus imaginem Sathanæ in destruccióne subuersorū homine. Scriptura crebrò ponit abstractum pro concreto & eius subiecto. fol. 143.

Ipsamet anima, quatenus ita tota inuersa est, nouaq; lege à Sathanā formata, dicitur & est imago Sathanæ & iniustitia originalis. fol. 145.

Anima non ratione substantiæ, sed ob securam corruptionem, dicitur peccatum originis. fol. 140. & 141.

Fol. 151. Loquitur de corruptione Physica.

Peccatum originis est essentia formalis hominis. fol. 152.

Scientiae & virtutes in angelis non fuerunt accidentia externa. fol. 164.

In Adamo fuit omniscientia scientia; In Angelis fuit essentialis bonitas. fol. 165.

Anima rationalis, quatenus est corrupta, est peccatum originis. fol. 168.

Imago Dei fuit ipsa sana anima ante lapsum. Eadem anima inuersa est peccatum originis. Eadem est ratio iniustitiae originalis in nostris spiritibus incarnatis, quæ nunc est in prauis spiritibus. fol. 170.

Diabo-

Diaboli sunt essentialiter transformati. fol.

*73. Cor lapideum est omnino opus Diaboli. fol.

174. Peccatum originis & vetus homo sunt Synonyma. fol. 181.

Fol. 182. dicit, peccatum originis esse aut substantiam, aut accidens, & nullum esse tertium. Ibidem, astutè ludit mutila definitione accidentis.

Imago Dei non fuit accidentis quoddam, sed ipsissima essentia hominis. fol. 183.

Fol. 186. Exagitat voces, lepra, morbus, venenum, vitium, &c. quibus tamen Lutherus & alij Orthodoxi vtuntur.

Iniustitia originalis fuit ipsa anima rationalis. fol. 186.

Originalis iniustitia est substantia.

Iniustitia, quæ restituitur in renatis, est substantia quædam. Contraria iniustitia est substantia, quia contraria sunt in eodem prædicamento. fol. 193.

Anima rationalis est causa formalis hominis. fol. 193.

Fol. 205. Exagitat phrasin, peccatum originis esse venenum affusum corpori: Exagitat etiam ibidem phrasin de lepra, &c.

Incommodè & falsò dicitur à quibusdam, quod oporteat distinguere bonam Dei creaturam à malo accidentatio, præsertim in summa animæ rationalis gradu. fol. 212.

Idem repetit. fol. 214.

Fol. 217. Negat, veram esse hanc propositionem: *Omnis substantia est a Deo.*

Liberum arbitrium corruptissimum est peccatum originis. *fol. 225.*

In Theologia diuersæ sunt species piorum & impiorum, non autem in Physica. *fol. 227.*

Dictum Pauli ad Hebr. vocantis peccatum originis ἐπιτέλος, Sophisticè eludit & detorquer ad suam opinionem. *fol. 227.*

Ibid. 228. Concedit, peccatum originis in re-natis esse quiddam diuersum ab eis.

Homo dicitur peccatum, non ob suam essentiam, sed ob finem & scopum, quia pugnat cum Deo & eius lege. *fol. 233.*

Fol. 238. dicit, se in hac contiouersia loquide forma.

Natura humana dicitur peccatum originis, non ob suam substantialitatem, sed ob nouam & essentiale metamorphosin. *fol. 240.* Sicut sequent. *fol. 242.* dicit, similem locutionem esse de aureo vitulo, qui dicitur peccatum, non ob suam substantialitatem, sed ob finem, &c.

Homo dicitur peccatum, quia totus est corruptissimus. *fol. 243.*

Quicquid ex carne natum est, caro est, id est, res prava, Deo aduersa & rea, concupiscentia & militans contra Spiritum. *fol. 261.*

Quod de immundo semine concipitur, est malum, reum, Deo inimicum & exosum. *fol. 262.*

Ex libro Demonstrationum.

In prefatione, fol. 17. contra suam conscientiam, dicit, nostros Theologos afferere substantialiam per se suauem natura adhuc esse bonam, &c.

Ibid. 18. recitat mutilam definitionem accidentis.

Fol. 20. affingit notam falsæ doctrinæ iis, qui negant peccatum esse accidens.

Fol. 12. damnat ἀδελφὸν in hac contiouersia.

Fol. 25. nugatur omnes Theologos secum affirmare, ipsam pessimam massam cordis esse peccatum originis.

Fol. 17. & 18. Dicit Christum frustra mortuum, si peccatum dicatur accidens, & non sit ipsa essentia hominis.

Fol. 18. dicit animam ante lapsum fuisse imaginem Dei, & post lapsum, eandem esse peccatum originis.

Fol. 21. Imago Dei & iustitia originalis, fuit in homine vere substantialia animæ rationalis.

Fol. 23. Imago Sathanæ iniustitiaq; originalis est substantialia.

Ibid. Homo est imago Sathanæ & iniustitia originalis.

Ibidem. Ipsamet natura est imago Sathanæ. *fol. 24.*

Fol. 25. Cor est imago Dei.

Ibid. Ex Catone probat suam opinionem, Si Deus est Animus.

Fol. 30. Virtutes in hominibus sunt ipsamē natura, nec sunt quædam accersita accidentia.

Fol. 33. Peccatum agnoscit legem & Deum.

Fol. 34. Vocat nefariam & blasphemam opinionem, peccatum esse accidens.

Fol. 35. Vocat assertores illius magistros accidentarios.

Ibidem, negat esse accidens & qualitatem, dicit etiam, accidens & qualitatem esse Synonyma.

Ibid. Vocat peccatum originis naturam intelligentem.

Fol. 36. Imago Dei est forma hominis, nō tantum quoddam eius accidens.

Item Imago & forma rei sunt Synonyma, &c.

Item Qui aliquid formare dicitur, ita vt sit Imago alterius, necessariò includit nouam istam eius formam ac essentiam.

Ibid. In regeneratione homo acquirit non accidentia sola, sed essentiālē formam.

Item Vetus homo est forma hominis, nouus homo est forma hominis.

Fol. 37. Imago Dei initio nō fuit accidens, alias iam quoque esset accidens, quia quod semel est accidens, non potest in alia re fieri substantia.

Ibidem afferit, imaginem Dei fuisse essentiālē formam hominis.

Item peccatum esse iam essentiālē formam hominis.

Ibid.

Ibid. Mors introduxit nouam formam essentiālē homini per lapsū.

Ibid. Vitam appellat essentiam.

Fol. 40. Imago Dei est substantia.

Fol. 41. Peccatum originale est omnino substantia.

Ibid. Peccatum originale est res rationalis.

Fol. 51. Homo in primo lapsū est mutatus in aliam speciem.

Fol. 50. Homo est essentialiter transmutatus ex optima essentia in pessimam.

Fol. 51. Peccatum originale non est accidens, sed est pessima forma hominis.

Fol. 57. Anima est forma corporis.

Fol. 62. Differit de positione & priuatione.

Fol. 35. Forma nobilior pars est materiæ, qualitatā animato tribuit. *Hoc obseruandum est*, propterea quod Illyricus in Confess. latina, fol. 238. dicit, hominem ratione formæ esse à Diabolo, & ratione materiæ à Deo.

Fol. 76. Ipsa substantia est originale peccatum.

Fol. 87. Essentia & de essentia sunt Illyrico Synonyma.

Ibid. Liberum arbitriū est imago Dei. Liberū arbitrium prauum & corruptum est imago Sathanæ, seu peccatum originis. Liberum arbitriū idem est, quod potentia animæ, fol. 87. Ergo homo amisit potentias intellectum & voluntatem.

Fol. 100. Suggillat phrases Lutheri, peccatum esse morbum, venenum, &c. & dicit ipsamē naturam hominis esse peccatum originis.

Fol. 113. Scriptura iubet nos abiicere cor.

Ibid. Contrarium afferit.

Fol. 114. Imago Dei est persona quædam viua & intelligens.

Fol. 138. Larua Diaboli (*id est peccatum originis*) accessit homini creato.

Ibid. Si peccatum originis non sit actu quidam diuersum à nostra essentia, attamen potentia est diuersum. Nam Deus potest nobis horrendam laruam Sathanæ, *id est peccatum originis* detrahere.

Fol. 140. Rectè afferit, quod *vetus & nouus homo*, sit *vnum & idem subiectum*, hoc alias Illyricus negat, in *Confess. lat. fol. 188.*

Fol. 141. Affectus, inclinationes, naturales appetitiones, &c. discerni debent ab ἀταξίᾳ, quæ à Sathanæ per originalem iniustitiam accessit.

Fol. 143. Peccatum originale in homine dominans, est omnino quædam substantia, &c. Peccatum originale est quædam substantia plenè viua & rationalis.

Fol. 144. Ipsa caro, est originale peccatum. Ergo necesse est, originale peccatum esse substantiam.

Fol. 145. Peccatum originale verè agnoscit Deum eiusq; legem.

Ibid. Deus ob nullam aliam rem nobis irascitur, quam ob peccatum: Ergo, non ob substantiam. *Ex verbis igitur tuis iudicaris, serue nequam Flaci.*

Fol. 146. Nostra pessima essentia aut existentia seu

tia seu forma essentialis, aut essentia formalis, est peccatum originis.

Fol. 147. Zizania quæ Diabolus plantauit in hominem, non significant accidentia, sed ipsas substantias.

Fol. 149. Vetus & nouus homo sunt substantiæ.

Fol. 151. Dicit in vno homine esse duos internos homines, duos intellectus, duas voluntates, & duo corda, item duas rationales essentias aut partes.

Fol. 164. Fatetur, se de naturali & carnali corde loqui, quum dicat, peccatum originis esse ipsum cor hominis. *Item 165. dicit*, primam cordis creationem periisse.

Fol. 180. Dicit, natura non esse amplius plantationem patris cœlestis, sed plantationem inicii Sathanæ.

Fol. 186. Dicit, naturam hominis esse imaginem Diaboli, item Deum propagare & conseruare naturam cum omnibus suis ingenitis bonis malisq; accidentibus & substantiis, &c.

Fol. 189. Deus ipse nos format cum omnibus pessimis substantiis & accidentibus. *Idem dicit fol. 193.*

Fol. 192. Substantiae transmutatae seu degenerantes, non sunt à Deo, sed à Diabolo. *215. fol. Materia peccati est pugnantia cum lege Dei.*

Fol. 217. Homo à Sathanæ est in contrariam formam essentia & naturam transformatus. *fol. 326.* Peccatum originis est substantia. Substantia in propositione Illyrici significat subsistens

quoddā, præsens & operans in homine, fol. 326.

Fol. 345. Peccatum non est merum accidens, sed essentia vel substantiale quiddam in homine.

Fol. 361. Peccatum originis est res substantialis habitans in homine.

*Ex defensione sane Doctrine
Illyrici.*

Cor est peccatum, imago Diaboli, ratione causæ efficientis, quia est ex patre Sathanæ homo corruptus, fol. 9.

Fol. 38. Vocat potentias animæ, partes animæ, item quinque animas.

Fol. 40. Falsum est substantiam hominis manisse post lapsum, quia facta est corruptio substantiæ: Est autem corruptio nihil aliud, quam substantiæ interitus commutatio, vel totalis, vel partialis.

Fol. 58. Deus accusat cor, non propter suam accidentalitatem, sed propter substantialitatem sui. Ergo Manichæorum sententiæ subscribit, qui idem docuerunt.

Fol. 60. Dicit, se de materia disputate.

Fol. 61. In regeneratione hominis, cor prorsus regeneratur, & in nouam essentialiem formam penitus transformatur & transmutatur.

Fol. 62. Vetus & nouus homo sunt substantia.

Fol. 66. Negat faciendum esse discriminem inter bonam Dei creaturam, & opus Diaboli, peccatum.

Fol. 106. In corruptione hominis prioris facta est generatio noui hominis, ex filio Dei in filium Diaboli.

Fol. 132. Negat se dixisse corruptionem Physice intelligendam esse. Videatur autem contrarium in secunda parte clavis, fol. 488.

Fol. 133. Dicit essentialiem formam animæ esse in pessimam transformatam.

Fol. 137. Hominis substantia ratione formæ nobilissimæ, est à Diabolo effecta, quatenus in Theologia consideratur.

Fol. 138. Innumeræ artes ex aliis substantiis alias faciunt. Duo homines, vetus & nouus, sunt Illyrico substantiæ, fol. 160.

Subiungam hic in fine, loco corollarij seu auctarij, sententiam & confessionem Domini Præceptoris, Dauidis Chytræi, in qua piè, grauiter & neruose controuer-

siam de peccato originali, à Manichæis furiosis motam, explicit.

CENSURA D. DAVIDIS CHYTRÆI DE CONTROVERSIA PECCATI Originis.

Fundamentum & neruus veræ & salutaris concordiæ in Ecclesia Dei, & ciuili hominum communitate, est consensus in vera de Deo & omnibus fidei articulis doctrina. Quare ut inter pastores huius urbis pia & sincera coniunctio & pax, Ecclesiæ & Reipubl. necessaria, constitui & durare possit, de articulo doctrinæ contiouerso primùm piè intet eos conuenire necesse est. Cæteræ offensiones per & p̄missas facile sanari & aboleri possunt. Sunt autem duo præcipua totius contiouersiæ momenta.

I. An peccatum originis sit substantia seu ipsa hominis anima & corrupta natura. An vero sit accidens in substantia seu natura hominis herens?

2. An inter peccatum originis & ipsam naturam seu substantiam hominis in hac corruptione, discrimen constitui & accuratè retineri possit & debet?

De priori quæstione non obscurè ostendunt Manichæi recentiores in publicis libris, peccatum originis non esse accidens, sed substantiam. Immediata enim diuisio est, omnes res aut esse substantias aut accidentia.

Quiigitur negat peccatum esse accidens, eo ipso

ipso perspicue affirmat, esse substantiam. Et vocabulum NATVRÆ πολύτερον, alias ipsam materiam & formam rei substantialem (sicut Manichæi vocabulum accipiunt) alias naturales inclinationes & vires significat, sicut Lutherus & alij p̄ij eadē voce vtuntur, cum dicuant: Die Erbsünde ih̄ des Menschen böse Art vnd Natur. De posteriore quæstione Manichæi, palam professi sunt, se nullum discrimen inter peccatum originis, & naturam hominis corruptam in hac depravatione constituere vel admittere posse: & propterea formulam Concordiæ, in qua discrimen illud peccati & naturæ ex articulis creationis, redemptionis, sanctificationis, & resurrectionis nostræ carnis, piè & perspicue illustratur, diserte condemnant.

Sunt autem hęc solida & immota fundamenta sacrae Scripturæ, quæ demonstrant peccatum originis non esse substantiam seu ipsam naturam animæ & corporis humani, intelligendo vocabulum naturæ de ipsa materia & forma hominis substanciali, sed esse ACCIDENS vitium in anima & carne humana habitans, quod per Spiritum sanctum in hęc vita expurgari ex natura hominis & aboleri incipiat, & in resurrectione peccatus ab ea separabitur.

I.

Roman. 7, aliquot illustris testē nonia sunt. Habitans in me peccatum. Scio enim quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, habens. Mani-

feste igitur discernit inter naturam seu carnem vitiosam, & inter peccatum in ea habitans. Non igitur est peccatum originis ipsa caro seu natura, sed in ea habitat & habet. Quicquid enim inest in alio, non est id ipsum, in quo inest.

II.

Malum mihi adiacet. Iam adiacentia subiecti non sunt ipsa subiecti substantia. Non igitur ipsa hominis natura corrupta est peccatum seu malum originis, sed prauitas seu malitia, quæ homini adiacet & adhæret.

III.

Videò aliā legē in membris meis rebellantēs legi mentis meā. Sciunt D.D. Pastores, Paulum hic propriè de peccato originis, rapiente hanc depravatam naturam & incitante, ut voluntati ac legi Dei furenter rebellet, concionari. Id peccatum non esse ipsam naturam seu membra hominis corrupta, sed in membris seu potentissimis animæ & corporis malum illud inesse Paulus docet. Aliud igitur est substantia seu natura mentis, voluntatis, cordis & omnium membrorum animæ & corporis humani, aliud peccatum in natura animæ seu membris hærens.

IV.

Ierem. 17. Peccatum Iude scriptum est stylō ferreo, & vngue adamantino exaratum est in tabula cordis eorum. Non igitur peccatum est ipsum cor hominis, sed in corde penitus infixum habet.

ret. Aliud igitur est ipsa natura seu substantia cordis, quanquam corrupta, aliud peccatum in eo hærens.

V.

Iohann. 3. Peccatum definitur iniquitas, seu avopia, hoc est, discrepantia à Lege Dei, seu repugnatio, aduersus legem Dei.

Eam vocem ἀροπία signficantem abstractum seu accidens in instituta definitione (peccatum est, quicquid pugnat cum Lege Dei) vocabulo simul complectente cōcretum reddiderunt, quæ occasionem præbent cauillationi querundam.

Peccatum est, quicquid pugnat cum lege Dei, seu quicquid dissimile est legi.

Sed ipsa hominis natura & substantia, mens, voluntas, cor, est res dissimilis & repugnans legi Dei.

Érgo, ipsa hominis natura est peccatum.

Nam in Maiore Iohannes propriissime peccatum definit in abstracto, *ν ἀρεστία ἡγία ἀροπία, peccatum est iniquitas seu dissimilitudo & discrepantia à lege.* At ipsa hominis natura, mens, voluntas, cor, non est ἀροπία seu iniquitas in abstracto, sed est ἀροπος iniquum & disrepans à norma legis in concreto. Manifesta est igitur fallacia figurae dictionis seu æquiuocationis.

VI.

Ephes. 4. Quatuor illustria testimonia una serie cohærentia extant, quæ peccatum non

esse ipsam hominis naturam, mentem & cor, sed in illa, tanquam in subiecto iuēsse, & tenacissimè hærere ostendunt. *Genes*, seu homines, ambulant in vanitate mensis ipsorum, obtenebrati intellectu, alieni à via Dei, propter ignorantiam, quæ est in ipsis, propter duritatem cordis ipsorum.

VII.

Roman.8. in descriptione peccati originis, & antithesi fructuum carnis & spiritus, inquit, *sensus carnis* (quæ est peccatum originis) *esse inimicitiam adversus Deum*. At inimicitia non est ipsa natura corrupta, sed vitiosa qualitas in natura seu carne corrupta.

VIII.

Ebræ.12. *Paulus nominat circumstantes peccatum*, ενωεισαλογίας, Lutherus vertit, *Dicit Sündes so vns jimmer anflebet* Manifestè igitur discriminē facit Paulus inter naturam seu substantiam animæ & corporis nostri, quanquam corruptam, & inter peccatum, quod illam circumstat, & tenacissimè illiinhäret.

IX.

Roman.8. *Spiritus vita liberauit me à lege peccati & mortis*, neceſſe est igitur res distinctas esse, ipsum Paulum seu naturam & substantiam animæ, & peccatum originis, à quo ille liberari & emundari potest. Manet enim vna & eadem natura

DE SECTA MANICHAORVM. 231
natura seu substantia Pauli, qui ante Spiritus sancti gubernationem, lege peccati & mortis regitur: deinde vero ab illa liberatur.

X.

Roman.8. *Filius Dei de peccato damnauit peccatum in carne*, ut iustitia legis impleretur in nobis. Non igitur peccatum est ipsa caro seu natura corrupta formaliter, sed in carne habitat, & manifestè substantia carnis, seu natura à Deo condita, à peccato discernitur, dum per Filium Dei peccatum ex substantia carnis expurgatur & aboletur, & iustitia cum Lege Dei congruens, in ea acceditur. Multò enim latius patet vox CARO, quæ peccatum originis, quæ non solum prauitatem & malitiam, & hanc fecutam imbecillitatem naturæ, verum etiam subiectum seu naturam ipsam depravatam & corruptam simul complectitur.

XI.

i. Corinth.5. *Paulus peccatum originis velut Sathanæ fermentum*, & venenum per poenitentiam veram ex natura hominis expurgare iubet. Non igitur sunt vnum & idem natura hominis quamvis corrupta, & peccatum originis seu fermentum in ea hærens ex natura expurgandum.

XII.

Pſal.19. *De peccato originis quod vocat oc-*

cultum malum, inquit, ab oculis meis MUNDAM me, quod si peccatum originis ipsa natura seu substantia animæ esset, nō se mundari ab occul-
to illo malo David peteret, sed se totum, seu sub-
stantiam animæ, deleri, auferri & abiici peteret.
Non igitur est peccatum originis ipsa natura seu
substantia animæ.

XIII.

Eodem modo vrgeri possunt omnia dicta, quæ de mundatione & ablutione à peccatis passim loquuntur. I. Ioh. I. *Sanguis filij Dei Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Psalm. 51. *Asperges me Domine hyssopo & mundabor, Lauabis me, & super niuem dealabor.* Esaiæ I. *Lauamini, mundate, estote.* I. Corinth. 6. *Abluti estis, sanctificati estis.*

XIII.

Mich. 7. *Auferes iniquitates nostras, & proie-
cies in profundum maris omnia peccata nostra,* at non ipsam naturam seu substantiam animæ & corporis humani, sed peccatum pīj à Deo deleri, auferri, & in profundum maris demergi petunt. Non igitur peccatum est ipsa hominis natura & substantia, sed corruptio & venenum à Sathanā affusum, quod correcta & conseruata natu-
ra, expurgari, extergi, auferri & abiici orant: Si-
cūt his ipsis phrasibus purgandi & extergendi ve-
nenum à Sathanā affusum, frequenter Lutherus vituit in Gen. 3.8. *Sunt enim peccata & mors ma-
la separabilia,* & cap. 42. *Peccatum est profundum*
ven-

DE SECTA MANICHÆ ORVM. 233
venenum in anima & corpore. Et cap. 3. hoc vene-
num sic latè diffusum est. Et I. Cor. 15. *Deus non est*
hostis naturæ.

XV.

David 51. Psal. Significantissimè distinguit in-
ter peccatum originis & personam seu subiectū,
in qua hæret peccatum. Ecce in iniquitatibus con-
ceptus sum, & in peccato concepit me mater mea.
Non igitur prorius unum & idem sunt pecca-
tum & natura seu persona Davidis in peccato
concepta.

XVI.

Roman. 5. *Per unum hominem peccatum in-
travit in mundum,* seu totum genus humanum.
Iam quod intravit & accessit ad hominum na-
turam, non ipsa hominum natura esse potest.

XVII.

Gal. 3. *Homo conclusus sub peccato.* Iohan. 8. *In
peccatis suis morietur.* Aliud igitur est peccatum,
aliud homo sub peccato conclusus, & in pecca-
tis mortuus.

XVIII.

Præterea omnis natura seu substantia aut est
Deus creator, aut res à Deo creata. Sed pecca-
tum non est Deus creator nec res à Deo cōdita.
Ergo, Peccatum non est substantia seu natura,
quanquam post lapsum vitiosa & corrupta est.

XIX.

Deus in omni eternitate odit, abiicit & delet peccatum, sed naturam & substantiam hominis, quamquam corruptam, si tamen ad Deum conuertatur, non odit, nec prorsus abiicit & in nihilum redigit Deus. Ergo natura seu substantia animae & corporis ipso non est peccatum, intelligendo vocabulum peccati non de re rea & damnata propter peccatum, sed de virtio pugnante cum lege Dei.

XX.

His addantur argumenta de assumpta per filium Dei natura humana sine peccato, de redemptione non peccati, sed naturae humanae peccato corruptae a Christo facta, de renouatione & sanctificatione non peccati originalis, sed naturae peccato corruptae, de resurrectione non peccati originalis; sed naturae iam peccato corruptae, seu carnis nostrae, & similia, quae peccatum originis non esse ipsam naturam corruptam, sed accuratis & conspicuis limitibus ab ea distinguere, & reuera etiam discerni ab illa posse, & separatum iri, demonstrant,

Quod verò Manichæi obiciunt, si peccatum originis accidens sit: necessariò cōsequi, substantiam hominis non vitiosam esse, nec Christum substantiam aut naturam redemisse, &c. id si paulò attentius considerabunt, longè aliter se habere animaduertent, cum substantias ipsas accidentib. deprauari & fœdissimè corrumpi, vt cœxitate culum,

DE SECTA MANICHÆORVM. 235

culum, morbo corpus, cœde corpus & animam, manifestū sit, & substantias ipsas moraliter bonas aut malas, hoc est, legi Dei congruentes aut non congruentes, ratione qualitatum præcipue dici, omnibus eruditis constet, ut in definitione legis Dei dicitur, docere eam, *quales nos esse, qua facere, qua omittere oporteat.* Horrendum est autem dictu, Manichæos asserere, Christum sua passione & morte peccatum originale redemisse, cum ita argumentantur: *Si peccatum accidens sit, consequi inde, Christum nostram substantiam non redemisse.* Neque enim Christus redimendi peccati originalis, quod in æternum odit, detestatur & delet, passus & mortuus est, sed redimendæ nostræ naturæ, peccato corruptæ causa, quam liberare à reatu peccati, & ab ipso peccati veneno purgatam renouare, ac iustitia & vita æterna donare voluit. Speciosissimum autem in hac tota controversia argumentum est, quod Manichæi, velut in prima accie merito collocant, hoc modo argumentantes:

Prima causa, fons & radix omnium vitiosarum inclinationum & actionum malarum interiorum & externarum, est peccatum originis.

Sed corrupta substantia anima & corporis, ac præcipue cor humanum, est fons & radix omnium peccatorum actualium. Matth. 15. Ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cœdes, adulteria. Gal. 5. Opera carnis sunt, adulterium, scortatio, idolatria, &c.

Ergo, ipsa substantia animæ & corporis humani, seu ipsum cor hominis prauum & natura corrupta, est peccatum originale.

Respondeo: Totum argumentum esse falaciā accidentis. Etsi enim ambiguitas etiam est in Germanico vocabulo, *Wesen* / quo in hac controuerſia vtimur interdum, quod aliās ipsam rei effentiam, materiam, & formam denotat, aliās conditionem & statum rei, vitam & mores hominis, vt cūm Paulus Ephes. 5. inquit: *Nolite inebriari vino, dārauſt ein vnordentlich Wesen folget.* Vbi Scholion addit Lutherus: *Wie wir sehen/daz die Trunkenholzen wilde/freche/vnuerſchampfe/vnd aller dinge vngezogen sindt / mit Worten/ Schreyen/vnd Geberden/ vnd dergleichen/ vbi de accidentibus vocem Wesen usurpari sole meridiano clariſt est.* Tamen etiam si de ipsa animæ & cordis humani effentia Minorēm intelligas, nihilominus ab eo, quod per se inest, ad aliud, quod per accidentem accedit, vitioſe argumentatio concluditur: Est enim cor hominis fons & cauſa impiarum cogitationum, adulterij, &c. non per ſe, non ratione ſuæ ſubſtantiae, quæ diuinitus eſt condita, vt ſit domicilium & templum Dei, Deo grata cogitans & agens; ſed per accidentem, ratione *et tuſas* seu corruptio- nis, quæ ad maſſam cordis diuinitus conditam, per primorum parentum inobedientiam accel- fit, vt viſ ferendi fructus in arbore à forma ſub- ſtantiale ſeu natura arboris exiſtit. Quod autem vitio-

vitiosos fructus procreat, non à noua forma ſub- ſtantiale, ſed accidentaliter ſeu vitiosa qualitate, qua infecta eſt arbor, emanat. Itavis cogitar di, appetendi, agendi, auerſandi à forma ſubſtantiale animæ ſeu cordis humani, qualis à Deo condita eſt, originem dicit. Impia autem cogitacio- nes, inordinati appetitus, iniusta affectuum incendia, non à noua forma ſubſtantiale, ſed à pec- cato oriuntur, quod per accidentem ad naturam cordis, à Deo conditam, accessit. Hanc existi- mo principaliſ argumenti ſolutionem perspi- cuam eſſe. Quod deinde Manicheti dicunt, ſubſtantia hominis per lapſum ſcribitur immutata & peruersa eſſe, id, ſi de totali abolitione ſubſtantiae hominis à Deo conditæ, & conditione noui hominis à Diabolo factæ, Manichæi in- telligunt, ſicut primus controuerſiæ huius au- tor, Illyricus, in ſecunda parte ſcripturæ clauis- ſribit; fateor, me & omnes recte ſentientes, ab ipliſ diſſentire. Nec regeneratio per aquam & Spiritum ſanctum Physica corruptio eſt prioris ſubſtantiae & nouæ produc̄tio, ſed illius ipſius ſubſtantiae animæ, quæ à Deo creata, & per pec- catum deprauata & corrupta eſt. Renouatio, qua peccatum ex mente, voluntate & corde ex- purgatur & aboletur, & nouus homo ſeu ima- go Dei, hoc eſt, noua lux in mente, noua iuſtitia & vita in voluntate & corde per Spiritum ſan- ctum & verbum Euangeliū accenditur & foue- tur. Nec ſimpliciter vnum & idem ſunt, pec-

catum originis & vetus homo, qui non solum pravitatem & corruptionem, verum etiam subiectum ipsum seu substantiam corporis & animæ, & mortem simul complectitur. Deinde unus & idem homo secundum substantiam vetus & nouus homo dicitur, diverso respectu, sicut in doctrina de regeneratione & noua obedientia renatorum, copiosius declaratur.

Et Lutheri perpetuam sententiam nobiscum congruere, collatio testimoniorum & phrasium ab ipso usurpatarum ostendit, cum ipsius explicationes, ijs in locis, vbi de hac parte doctrinæ differit, integrè leguntur, & quomodo phrases suas ipse declareret, mediocriatentione considerantur.

EPILOGVS DE SECTA Manichaorum.

CV M ergò Sole meridiano clarius sit, Manichæorum dogma sacris literis, piæ antiquitatis testimonij, D. Lutheri scriptis, & libro Formulae Concordiae in verbo Domini fundatae, simpliciter repugnare: toto pectore ab eorum hæresi blasphemam abhorreamus, & maneamus in simplicitate sententiae Catholicæ, quæ in sacris literis est comprehensa, Amen.

Soli Deo, Trino, & Vni gloria.

IMPRESSVM FRANCOFVR-
TI AD MOENVM, TYPIS Io-
annis Saurij, impensis Pe-
tri Kopffij.



Anno Christi,

M. D. XCVII.